Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Adolf Groll

Testis et Doctor

Viennae: Van Ghelen, 1709

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn815690231

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn815690231/phys_0001
DFG

418 b
C Ic – 1432.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn815690231/phys_0002
DFG

TESTIS
ET
DOCTOR.
OPUS
A'
P. ADOLPHO A' S. GEORGIO
Scholarum Piarum Sacerdote
LINGUÂ HEBRAÏCÂ PRIMÙM
CONSCRIPTUM,
Deinde
AB EODEM IN LATINAM TRANSLATUM,
Ac
PONTIFICI SUMMO
CLEMENTI XI.
Inſcriptum
ANNO M. DCC. VIII.

VIENNÆ, Typis JOAN. VAN GHELEN Sac. Cæſ. Majeſt. Aulæ
Typographi Italici. 1709.

1765.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn815690231/phys_0005
DFG

Ex
Bibliotheca
Academiae
Rostochiensis

DEDICATORIA.

DOMNE SACERDOS MAGNE.

DAvid rex, cujus cum pace meminimus, ait: *Petra refugium Herinaceis.* Quod Jonathan Chaldæus transferens, Petram vocat Cepham. Quis dabit mihi Petram, in qua librum hunc à lupis tutari possim? Nonne tu, quem successione vocant Cepham? Ecce adinstar cuniculi minorabor, tantummodo ut mihi sis protectio salutis; secutus in hoc Magistrorum parabolas, qui superbiâ dicunt tolli ab homine 500 partes staturæ, & eum tamen adhuc impingere capite suo in pedes Majestatis Divinæ asseverant. Et nunc vide paupertatem meam, & laborem meum, quia filius pauperis ego sum, & non est substantia.

Adduxi in Gazophylacia tua, tria sata farinæ mundæ, h. e. tres libri hujus Tractatus. Verè quidem similis factus sum homini, qui stramen invehit in Ephraim, sed oblatio mea similis facta est oblationi, quam Abraham tribus Angelis obtulit. Nam sicut, testibus Magistris in Thalmude, placentæ Abrahami farinaceæ significaverunt cibum cordis, sic tria farinæ sata Doctrinam ex lege, Prophetis, & Hagiographis sumptam, indicare volunt, ut eâ reficiantur filii Israël, credantque in Redemptorem.

Sed & in tuo speravi nomine juxta Psalmistam: Ut sperent in te, qui noverunt nomen tuum. CLEMENS in lingua sancta dicitur CHOSID, quod etiam significat PIUM. Confirma, quæso, nomen tuum super unum ex PIIS Scholis. Et *Clementes* Antecessores tuos præfatis Scholis *clementes*, clementiâ vince.

Cœpi loqui ad Dominum meum, ego pulvis & cinis. Loquantur, obsecro, adhuc servi tui verbum in auribus tuis, & nè quæso irascaris. Dominus meus interrogavit servos suos: éstne vobis PATER? Et diximus: est, qui

qui in ſenectute reliquit filios, & mortuus eſt. Nunc ergo ponat Dominus meus ſuper eum oculos ſuos, & dicat: Cum CHOSID, h. e. Clemente (ſanctum hæc vox pariter & clementem ſignificat) ſanctus eris. Et ero Domino meo in ſervum perpetuum ad omne opus tabernaculi.

Demùm accipe nunc à me, quod invenerunt manus meæ; veniatque ſuper nos Benedictio tua ad nunquam ſatis; quæ mihi erit ſcutum & clypeus; & replebuntur in diebus tuis frumento horrea mea; quia verò non eſt, ſicut tu, nisì DEus ſuprà, requieſcet gloria mea in pulvere pedum tuorum. Sœlah.

Scripſi die ſeptimâ Schebat Nicolſpurgo Anno 468. juxta computum parvum

Ego Adolphus à S. Georgio ex Piis Scholis, Vir de Oppido Kremſir.

JOANNES CHRYSOSTOMUS

à S. Paulo Cler. Reg. Paup. Matris DEI Scholarum Piarum Præpositus Generalis.

PAtris Adolphi à S. Georgio Hebraïcum Conamen pro Fide Orthodoxa, contra Perfidiam Judaïcam conscriptum, Typis posse vulgari ultrò concedimus ; Si Patri Provinciali Germaniæ, duobusque nostris Theologis, & iis ad quos spectat, bene visum fuerit atque approbatum. In quorum fidem. Dat. Romæ in Scholis Piis apud S. Pantaleonem. 7. Idus Januarii 1708.

Joannes Chrysostomus à S. Paulo,
Præpositus Generalis.

L.S.

Eugenius à S. Sylverio, Secretarius.

Ego

EGo infrascriptus Opus Latino-Hebraïcum contra Perfidiam Gentis Judaïcæ, cui Titulus: Testis & Doctor, Operâ & Studiô Patris Adolphi à S. Georgio Religionis Nostræ Clericorum Regularium Pauperum Matris DEI Scholarum Piarum Sacerdotis Professi concinnatum, atque à duobus nostris Romanis Theologis revisum, potestate mihi ad hoc ab Admodum Reverendo Patre Joanne Chrysostomo à S. Paulo Præposito Generali transcriptâ, accedente tamen eorum, quibus ordinaria censura commissa est, favorabili consensu, Typis ut mandari possit, præsentium tenore permitto. His in fidem subscriptis, officii Sigillum apponi feci; Nicolspurgi in Marchionatu Moraviæ in Domo Scholarum Piarum S. Joannis Baptistæ; die 18. mensis Aprilis Annô 1708.

Bernardus à S. Philippo Nerio,
Scholarum Piarum Germaniæ &
Hungariæ Præpositus Provincialis.

L.S.

Mansuetus à S. Joanne Baptista,
Assistens & Secretarius Provincialis de mandato.

EPI-

EPISTOLA

P. PETRI FRANCISCI A' CONCEPTIONE

Scholarum Piarum Ex-Generalis, S. R. & Universalis Inquisitionis Qualificatoris, & Sacræ Congregationis Indicis Consultoris.

P. ADOLPHO A' S. GEORGIO SCHOLARUM PIARUM,
Petrus Franciscus à Conceptione Ejusdem Religionis Salutem.

Similes sunt sapientes in terra, luminaribus in cœlo. Habetur in Mischar hapenninim. Ac si dicatur: Quod sicut è luminaribus cœli universus illustratur orbis, ità è sapientibus in terra lumen prodit clarissimum, quô tenebræ omnes inscitiæ, & erroris propellantur. Apparet hoc præcisè in opere mihi ex remotis finibus communicato, cui titulus: TESTIS & DOCTOR, quodque Rev. Vestra adornat; in quo errorum caligines de Judæorum cordibus eliminatura, tot quidem lucis emittit spicula, quot unà simul congerit capita, & argumenta. Ex eorundem enim hæc eruta principiis, necesse est, ut quæ olim obduruêre corda, efficaci aliquando charitatis igne admoto, saniissimæ veritatis ardore liquescant.

Operi sanè arduo, asperisque implicito salebris manum dedit Rev. V. dum iis facem præferre nititur, qui obstinatam mediâ in luce profiteri cœcitatem prægestiunt. Unde in Nidda legimus: *Vide quàm sapientes sint Judæi, quantùm fortè cœcus in fenestra.*

Quin-

Quinimò ubi cœcus lucem desiderat, lucentem Judæus veritatem contemnit; eamque vatiniano plusquam odio persequi videtur. *Sicut lupus odit canem, sicut piger tempus messis.* Veritati insuper detrahentes Græcum in se norunt verum factum proverbium: ὅπα Διὸς οὐκ ἐκλέγουσι φένακες. Atsi cœlesti reluctantes Gratiæ, conversum Libanum in Charmel, & Charmel in Libanum, quod Isaias prænunciavit, reputatum fateri debent, sibi imputent, & meliori sibi consulant sensu.

Verùm ut ad Opus ipsum redeamus est opus. Circa quod si mentem meam Rev. V. exquirat; quòd arduam susceperit Provinciam iterum fateor, quandoquidem ut eorundem utar Judæorum Phrasi: *Plebejus odit Rabbinum*, & qui numerosi super hoc præcessêre auctores argumento, terrere ab incœptis potuerunt. Laboris verò non pigeat, ubi operis ex pertractata materia dignitas Auctorem laudat, modestia in discrimine commendat, novitasque argumentorum eruditionem integrè comprobat. Hinc est, quòd nonnisì maxima cum animi voluptate elaboratam Hebraïci styli dicámne elegantiam? an (apud nos) simplicitatem admiratus, ipsam dicendi methodum sæpè legens amaverim, præsertim dum Rev.^{m} V.^{m} ad captandos Judæorum animos in eloquentia Judaïzare adverterem; manumque illam animô saltèm complexus sim, quæ fidei spargens semina χόνδρον τῆς πίστεως πανταχῇ βλαστάνειν faciet. Summo ergò cum gaudio Rev.^{m} V.^{m} versutiæ occurrentem, calliditati obviantem, declinationibus Judæorum instantem, modestè semper, animosè semper & fortiter, contemplatus; non tantùm Judæis profuturum, sed & aliis appri-

mè conducturum librum hunc dijudico. Armamentarium est, unde arma capiat Catholicus, controversista eligat, Catechista assumat. Sed quid plura? plura quidem haberem, quæ in Operis commendationem, & in Auctoris laudem dicere deberem; At unum hoc sufficere puto Rev. V., quòd scilicet ea quæ parcè scripsi, sinè fuco scripserim, & sic scripsisse semper profitear. Cæterùm Eam diù valere ad bonarum artium splendorem desidero. Romæ ex Domo S. Pantaleonis Scholarum Piarum pridie Kalendas Aprilis. 1708.



TEHI-

* Laus. * *TEHILA AUCTORI.*

OPus, quod operatus es, lætitiam ponit in anima mea, & dolorem. Vidi enim in eo diffuſum Sapientiæ Spiritum, & in hoc exultat cor meum. Meditatus ſum in laude illius, & in hoc apprehenderunt me anguſtiæ. Dixi: aperiam os meum, & loquar magnitudinem virtutis tuæ; ſed ecce, ſicut qui ponit lumen in meridie, ità laus mea ad ſplendorem doctrinæ tuæ. Verè Teſtem & Doctorem, dedit te DEus in diebus noſtris, quia poſuit verba veritatis in ore tuo, ut tu doceres eam, & ipſa eſſet Teſtis ſibi. Quid ergò adjiciam ſuper omnem laudem tuam? Numquid creſcere faciet magnitudinem arenæ, qui apponit pulviſculum ad acervum. Elevabo manus meas, ut ponat DEus ſpiritum credulitatis in corde legentium, ſuper te verò requieſcat virtus Domini, ut ſis Teſtis in tempore, & Doctor in longitudinem dierum.

P. Alexius à S. Andrea,
Scholarum Piarum
Sacerdos.

ALIA.

APplausit Discipulus Sapientis Engelbertus Doctori suo. Et dixit : Generatio Generationi laudabit opera tua. Nam ascendisti super Testes Testis, super Doctores Doctor, juxta nomen tuum *Adolph.* (*Æd.* Testem *Aluph* Doctorem significat) Ideò dedit te Dominus Redemptor Israël in lucem filiorum suorum ; ut ires & ostenderes, eos non intellexisse testimonia Patrum suorum, & in Prophetis suis non fuisse meditatos. Tu verò aperuisti os tuum in veritate, & in corde integro locutus es. Et gratia Evangelii diffusa est in labiis tuis. Et docuisti eos viam bonam in lingua eorum, & in testimoniis eorum testificatus es eis. Et nunc quid adducam ego ultimus ex Schola Sapientum ? Vidi Sapientiam tuam, & Librum quem scripsisti, & omne desiderabile non æquiparabitur ei. Et dixi: Væ mihi, quia incircumcisus labiis ego sum. Custodiam itaque os meum, nam semper manet : *Secundùm nomen tuum, sic & laus tua.*

Engelbertus à S. Xaverio,
Scholarum Piarum
Religiosus.

MO-

MONITA AD LECTOREM.

Pauca in Lectionis vestibulo, te prælegere velim, Lector Philebræe, nè moram injiciant in decursu, hìc neglecta. Ac primò me meipsius non egisse interpretem, sed paraphrasten, quòd horridam Sancti Sermonis suavitatem, Romanis auribus desperaverim placituram. Retinui tamen Hebraïsmi quædam hinc inde vestigia, ut venerabilem & simplicem mirari posses antiquitatem.

Secundò. Perpetuus is mihi ordo est: Rabbino textum, textuì rationem quodammodò succenturiare. Rabbini placebunt gnaris, ignaris autem linguæ, Scriptura & Ratio. Quæ causa fuit, quòd Rabbinos, & Rabbinica arcana tantùm digito commonstrârim, nè fastidium parerem gnaris juxta & ignaris. Est tamen ubi fusìus quædam refèro, quia ab aliis hactenus non credo fuisse visa. Libris utor quotidianâ nostrorum Judæorum manu tritis; scio etenim, quanto fuerit datum vitio Auctori Arcanorum *Gale Razeia toties laudâsse, qui liber aut est suppositìtius, aut omnino nullus.*

Tertiò. Ad evitandam calumniatoris notam, modestissimè, & ità, ut verear nè nimìs, cum adversariis ago, admitto quæ quovis modo admitti à cordato homine possunt. Formulis laudandi utor magnificis, si quid reprehendendum, cum humanitate facio; Denique sicut Judæus, qui in suis Magistris veritatem quærit, se gereret, ità ego me gero, ut Judæos lucrifaciam.

Quartò. Quæ ad hominem sunt argumenta, diligenter discernenda sunt, ab iis, quæ absolutè concludunt, nè mihi quis errores, & fabulas, & commenta Cabalæ ausit imputare.

Quintò. Sciens, multos scripsisse contra Judaïcam Perfidiam, plerosque evolvi, & fere pauca, quæ ipsi adducebant testimonia, apud me etiam reperiri deprehendi; Initiò quidem ea eradere certus, nè quod Galatino, *&* Porcheto *objectum est Raymundi Martini plagium, à nonnullis mihi quoque impingeretur; Sed compertô, numeri exiguitatem ipsam à me staturam apud eruditos, reliqui omnia ut priùs intacta. Quid enim mirum? Si quæ sunt omnium communissima, à pluribus inveniantur.*

Sextò. Exemplaria Hebraïcorum Auctorum, quibus usus sum, sunt recentia: Francofortense nempe Jalkut, Basileensia Biblia, Sulzbacense Zohar: Talmude utendum fuit variô, ob carentiam. Ideoque prout mihi variè commodabatur, sic exscribebatur. Joseph Albo Venetiis, Zemach Pragæ excusi, mihi ad manum fuêre. Potiora Scripta, Serenissimi Lotharingiæ Ducis Episcopi Olomucensis gratiâ, ex Ejusdem Bibliotheca Cremsirienſi extracta sunt. Lector Philebræus hoc monitum in quærendis Textibus observabit, nè Lectionum varietate aliquando offendatur.

Demùm nunquam in animum induxissem, ut purè Hebraïcè aliquid scriberem, nisì occasionem & stimulos adjecissent quotidianæ ferè cum Judæis Controversiæ, semper felici successu habitæ, quando Sermone Rabbinico, & ipsis eorum verbis decisæ. Accessit Principis, in cujus hæc ditione peragebantur, singularis zelus; Quo citiùs mortuo, accipe interim hoc qualecunque Latinum Opusculum, donec originale Hebraïcum, propter Typorum in hac Patria inopiam, & difficultatem dilatum, Amatorum Sacræ Linguæ

muni-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn815690231/phys_0018
DFG

munificentiâ exſurgat ſplendidiùs. Tunc videbis Dedicatoriam, & Tehilam metro ſcripta, tunc nervos, qui in Latino languent, ut fatetur Eccleſiaſticus noſter, integros aſpicies, tunc quô conſiliô à vulgata editione receſſerim, (ſalvâ illius Authoritate, quam meritò accepit à Tridentino Concilio) plenè aſſequeris. Hebræis Literis ſtet neceſſe eſt, qui cum Hebræis agit, quoties hæ nihil fidei adverſum ſonant. Et jam: Veni, vide.



SYL-

SYLLOGISMUS TOTIUS OPERIS.

CÙm venerit Messias, mutabitur Lex. Habetur in Jalkut Isaiæ 26. his verbis: Tunc sedebit DEus Benedictus in horto Eden in medio Justorum, & explanabit eis Legem novam, quam dabit per Messiam. Hæc est PARS I.

Atqui Messias jam venit, & is est JESUS Nazarenus. PARS. II.

Mutata est igitur Lex Mosis in Novam JESU Legem. Et explanatur PARTE III.

PARS

PARS PRIMA.

Caput I.

NOn est mihi animus, vocare in dubium disceptatione præsenti Legis Mosaïcæ mutabilitatem. Neque demonstrare contendam fierine possit, ut quædam ejusdem Legis Præcepta ex prohibito (Hebraïcè loquar) possint transire ad licitum, aut hæc ipsa Lex temporario claudi fine valeat; utpote nullam æternæ durationis importans necessitatem. De his etenim M. Joseph Albo in Libro Fundamentorum ante me disseruit, professusque est, nullam ex Scripturis adstrui posse Legis æternitatem, nullam ex ipsius Legis quidditate, aut Divina causalitate adferri posse demonstrationem. Omnia siquidem in DEI pendent voluntate, & Missi missione. Huic ejus opinioni ratio suffragatur; quid enim vetat Mosis abrogare verba, postquam eorum abrogator paris cum Mose fuisse authoritatis est deprehensus, paribusque signis authoritas declarata.

Quapropter sumptis ad caput hocce concinnandum animis, id unum agam, ut in Messiæ potestate præfatam Legis mutationem esse ostendam, simulque concludam, illius temporibus fuisse promulgandam. Ac etsi præfixus tractatui meo Jalkuti textus, quod ago, clarè evincat, ex Isaiæ tamen edito hac de re vaticinio fortissimum insuper erui fundamentum

Ex Sion, inquit Propheta, *exibit Lex*, cùmque Mosaïca non utique ex Sion, sed ex Sinaï sit egressa, de futura in adventu Christi Lege loquatur Vates, est necesse.

Nè verò quempiam dicere contingat, Legem Mosis, quæ ex Sinaï est egressa, denuò ex Sion egressuram; alterum ejusdem Prophetæ textum audiamus: *Legem ejus*, ait, *exspectaturæ sunt Nationes Insularum.* Quod quidem de Mosaïca interpretari minimè possumus, quam unicus exspectavit Israëlis populus ad hoc ex condicto DEI in Sinaï congregatus. Atque hæc est illa Lex, quam Jeremias novam vocat: *Ecce dies veniunt*, inquit, *& paciscar, dicit Dominus, cum Israëlitis & Judæis Pactum novum, non sanè illud, quod pactus sum cum eorum patribus, cùm meam ostendi potentiam illos ex Ægypto educendo.* M. David Kimchi evidentiam dicti elusurus, nullam, asserit, aliam Legis prædictam esse novitatem, præter novam illius & ruptionis expertem observationem. Quod si ità est; ad hoc adigetur Magister ille, ut Messiæ temporibus sublatum iri præsentem arbitrii nostri variabilitatem, & nimiùm usitatam humano generi in eligendo bono vicissitudinem, debeat asseverare. Ex his perspicuum fit, Deum Legem novam propriè per aliquem nuntiorum suorum daturum fuisse, qui omnibus honorabilior, omnibusque major, quotquot eum præcesserunt, nuntiis; omni procul dubio est Rex Messias.

CAPUT II.

MOsaïca illa Nomologia, undecunque consideretur, singularis est; primò enim Populus, qui illam recepit, tum & locus, ad quem affixa est, & tempus, pro quo data est, unica sunt; plurimaque invenire est Præcepta, quæ nullibi, nisi in Palæstina, possunt observari. Quid quòd Mosis tempora & Prophetarum, accommodatas habuêre exspectationi populari rationes, seu ut promissæ beneficia terræ, seu ut promissi regnum Messiæ in Cærimoniarum suarum diversitate revolverent animo. Ipse præterea legatus Moses unius erat familiæ servus, neque ullam sibi super cæteras Mundi gentes arro-

arrogare valuit potestatem, de quo Scriptura ait : *Non ita Servus meus Moses in tota Domo mea fidelis.*

At Christi Lex, unde unde spectetur, generalis est. *Legatus totius Orbis Dominus & domitor filiorum Seth.* Porrò Sethi filios omnes omninò dici mortales, nemo inter Magistros est, qui diffiteatur. Est etiam alterius hujusce Legis Fecialis, non Servus domesticus; sed Filius, si Magistrorum doctissimo Majemonidi, Medraschiis & Talmudi credimus; qui illud Psalmi : *Ego genui te*, de Christo interpretatur. Locum quod attinet, non ad unam aliquam Provinciam, sed ad Orbem universum Messiæ dominatus extenditur. Ille à mari regnat ad mare, illum Judæa haud sola, sed gentes etiam requirent. Atque ut sub unum tibi conspectum omnia subjiciam, latissimam in omnia DEI palatia (omnes intelligo Mundi plagas) potentiam exprimit Psalmus : *Postula à me*, &c. Omnibus indicendam generalem Christi Legem prænuntiat Isaias, quando illum gentium appellat Ducem & Legislatorem.

Et siquidem nullus est, qui singularem, & generalem Legem unam eandemque esse dicere audeat, è contrario duas, & duplicia Præcepta continentes Leges has esse quilibet clarè perspiciat : quid opùs est, diu multumque deliberare, an particulari, & per Servum promulgatâ Lege relictâ, suave generalis Jugum per Filium impositum sit amplectendum. Non est profectò hoc opùs examine illi, qui adhortantem sequi vult Psalmistam : *Osculamini Filium.*

CAPUT III.

BRevi rem similitudine declaremus. Rex aliquis terrenus, cui plurimæ erant civitates, unam elegit aliquando, in qua habitaret. Quia verò cives illius non omnino vulgariter amabat, procuratorem domûs suæ advocans ait : Constituam ego subditis meis signa, ut tantò faciliùs eos pateat mihi subjectos esse. Faciam, alia portent insignia in vestibus, alia in carne, mei enim sunt; imponam illis præcepta, quibus ad me colendum obstringantur, neque id sinè lucro eorum fa-

ciam, ſiquidem ſuper reliquos regni mei incolas illos augere honoribus, mihi certum eſt. Hoc acceptô mandatô procurator ad præfatos ablegatur cives, ab iisque percontatur : An regiis ſtare pactis impoſthac velint ? cui omnium voce extemplò reſponſum eſt : Quidquid allubuerit Regi, faciemus. Et ex illo tempore honore affecti ſunt tantô, quantô aliorum nullus. Imò ſtabili cavit lege Rex, ut in hujuſce exaltationis ſignum & memoriam certis uterentur ritibus, quibus ſuam faterentur ſubjectionem, teſtatumque facerent, ſe ex duriſſima fuiſſe ſervitute emancipatos ; cùm verò progrediente tempore etiam reliquas civitates ad eundem gradum vellet elevatas Rex, viderat id primæ legis vigore obtineri non poſſe, nulla etenim communis cauſa obſequii omnibus intervenit, neque, quæ uni acciderunt civitati, eodem prorſus modo ab omnibus recoli poſſunt. Quid, quòd diverſa ſit ſingulorum affectio, atque, quod convenit Metropoleos incolæ, pagum habitanti nequeat adaptari.

Concluſum eſt, ut Regis filius ad nova ferienda fœdera cum omni omnino regni incola mitteretur, exponeretque ſingulis, Patrem ſuum ità ſtatuiſſe : ut quisquis generales ſecundi hujus pacti conditiones impleret, omnes primi pacti prærogativas aſſequeretur.

DEus Sanctus, & Benedictus elegit ſibi ex omnibus nationibus Mundi, unam veluti peculiarem, videlicet Iſraëlem : Ex Ægypto illam aſſumpſit veſtitam ſignis ; in carne quidem abſciſſæ ſigno pelliculæ, in habitu autem corporis ornatam phylacteriis, ut à reliqua populorum colluvie diſcerneretur. Exaltata igitur gens illa, inito cum Divina Majeſtate fœdere, cœpit peculiaribus cæremoniis memoriam liberationis ſuæ celebrare. Cœpit Paſchatis, Tabernaculorum, ac Primogenitorum ritu, quæ ſibi primùm accidiſſent, recolere. His ità conſtitutis adeſt Meſſias DEI Filius Benedicti, qui univerſum Orbem ſub alas Numinis veluti virum unum colligit ; ità ut jam flectat genu, non Judæus tantùm ex monte uno, & civitate una, ſed quivis ex omnibus gentibus & Inſulis mortalis, juxta Iſaiæ vaticinium, qui ad Meſſiam remotiſſimos populos

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn815690231/phys_0024
DFG

los prædixit confluxuros. Isaiæ succenturiamus Sophoniam ità loquentem : *Tunc* (Messiæ nempe temporibus) *labium illud purum, quo à meis invocabar, transferam ad populos, ut omnes invocent Nomen DEI, Illique uno serviant humero.* Et Talmudis liber dicta nostra brevi exponit parabolâ : *Bos*, inquit, *dum curreret, cecidit, quo viso bovis Dominus fracto bovi substituit equum, & uno ambos præsepi imposterum excepit.* Magister Salomon Isaccius : *sic*, ait, *planè se res habet cum gentibus.*

Atque, quod maximâ eget consideratione, hoc est, quòd Israëlitici Populi, cui aggregandæ sunt gentes, dispositio non sit mensura cæterorum : neque speciales illius memoriæ, & monumenta, omnium monumenta esse queant ; adeò quidem, ut intellectui humano contradictorium esse videatur, Fœdere Israëlitico, & ritibus reliquas etiam obstringere gentes. Quomodo enim amabò Ægyptius comedet Azyma propter eandem causam, propter quam illa comedit Israëlita ? Aut quomodo equus bovi substitutus, hoc est, ut inquiunt Talmudistæ, gentes Israëlitis subrogatæ, Jugum in collo gestans ad agrum egredietur ? Nam postquam unus ex omnibus populis, & ex ipso etiam Israëlitico futurus est fasciculus, ut vult liber Judæorum, Bereschit Rabba dictus : convenit certè, imò necessarium est, ut per aliquod fœdus tales in universum statuantur cæremoniæ, quæ universæ possint collectioni adaptari. Quod autem ad signa attinet, & notas corporis, hoc unum ajo, inauditum scilicet esse, quòd pastor unus signaverit gregem, præter quem alius grex nullus erat. Quidquid enim discerni debet, ab alio discerni debet.

CAPUT IV.

NEque est, quòd dicas : Pactum Israëliticum vocari Pactum æternum, namque Magister Joseph Albo hanc tibi facilè removebit difficultatem. Ego verò resumptis animis evidenter ostendam Circumcisionis mutationem, quæ quidem omnium rituum est celeberrima, adferamque rationem ex ipso Sacræ

Scripturæ textu, qui eam dicit abolendam. Veni, vide: In sectione, quæ incipit Lechlecho, quid dicitur? *Et ponam Fœdus meum inter me & te, & multiplicabo te nimiùm quantùm. Et procidit Abraham in faciem suam, & locutus est cum eo DEus dicens: Ecce Pactum meum tecum constitutum est, fiesque Pater gentium plurimarum; hoc Pactum firmum erit inter me & te, & inter semen tuum, & posteros tuos tempore longissimo, ut tibi & posteritati tuæ sim in DEum; & ob hoc circumcidetis carnem præputii vestri, quod erit Signum Fœderis inter me & vos.* Ex ultimis hisce verbis talem pro abolenda Circumcisione facio Syllogismum.

Cessante Fœdere, cessare debet Signum Fœderis:
Circumcisio est Signum Fœderis cessaturi,
Ergo Circumcisio est cessatura.

Major ex primis principiis nota est, minor est Scripturæ textus, quoad utramque partem, veluti ex nostro capite primo etiam apparet: clara igitur est consequentia. Præterea, si Circumcisio monumentum erat Promissionis illius, quâ Abrahami Filiis Chanaanitis promittebatur, sicut impossibile est, ut totus Mundus unam possideat regionem, ità impossibile est, ut totus Mundus uno hoc teneatur monumento.

Idem argumentum conficitur ex Verbis DEI, Fœdus præfatum inter se & illos, nempe Abrahamidas statuentis: *Inter me*, inquit, *& inter vos*; quasi dicat non inter populos exteros. Quibus verbis terminum posuit Circumcisioni usque ad tempus Messiæ, quo non jam inter se & illos, sed inter omnes omnino mortales Fœdus generale feriet. Ob id initio quidem vocatus est Abram, hoc est, ut Talmud inquit: Pater Arami, Signumque accepit Circumcisionem. Sub finem autem, inquit Talmud, Abraham dicitur, hoc est: omnium gentium Pater. Cujus rei Signum est, Circumcisio abolita: quæ Abrahamum inter ejusque posteros carnis propagatione ex ipso natos, & inter, DEum & Mundum totum Signi locò debuit intercedere. Ità invenio in Libro Fundamentorum, quòd fides sit causa Vitæ æternæ & Beatitudinis. Atque ut videas rationum nostrarum necessitatem, perpende, quòd dum dicit DEus *inter me & vos*, exclu-

excludit reliquas gentes, quæ cùm non sint carnale semen Abrahæ, membri, quô carnaliter propagamur, non debebant circumferre signaculum; dum verò dicit: *Feci te Patrem gentium plurimarum*, de propagatione longè alia loquitur: nimirum de ea, quæ per fidem fit, dum Orbis universus Fidelium, hoc modo ex Abraham egressus dici potest, & quod maximè notes velim, fides nequaquam in Circumcisione, sed in corde sita est: ut ait Magister Liepman.

CAPUT V.

DEUS medico non absimilis est, qui ut quisque medicinæ eget, ità cuilibet alia, atque alia præscribit medicamenta; ac huic quidem unguentum, illi aroma, huic aroma aliud, quàm alteri. Verba sua Jacobo DEus annuntiat, cæremonias suas & jura justaque Israëli, non tamen facit sic omni populo; Siquidem quod uni Judaïcæ genti proprium est, beneque convenit, omnibus convenire haudquaquam potest, atque hæc causa erat, quòd Moses Socero suo Jethroni nullum acceptandæ Legis dedisse consilium legatur; imò nec Daniel Chaldæorum amicus Regum, quidquam unquam de Judaïcæ Legis utilitate, quàm suscipientibus illius jugum adferre solet, locutus est. Eleemosynas, generalemque pœnitudinem suasit, Legis subticuit Sacrificia; In tanto etiam numero Præceptorum Mosaïcorum neque unicum est reperire, quo juberentur Judæi ritus suos aliis nationibus tanquam utiles aut necessarios commendare. Quod quidem inde provenit, quòd nempe medicina Sorti proficua, non continuò proficiat Socrati; & si Hebræo naturaliter zelotypo libellus repudii indulgetur, nulla ex hoc ad alias gentes trahi potest consequentia, quas nulla vexat zelotypia, quibus, si libellum das repudii, sano exhibes medicinam.

Quocirca bene locutus est Magister Moses Majemonides, dum considerans multitudinem Cæremoniarum Judaïcarum ausus est dicere: DEum ex primaria intentione illas non voluisse, auxisseque Numerum ob Judæorum lubricitatem solùm,

solùm, qui ad Idolorum cultum perfaciles, innumeris occupari debuerunt ritibus veri colendi DEI, nè falsos colerent. Itaque mirari ampliùs noli, quisquis es, cùm novam daturum Legem DEum audis. Quomodo enim sub unam Judaïcæ Legis regulam tot diversissimæ cogi possent nationes, quæ Messiæ temporibus sub omnipræsentis DEI alas colligentur. A' Mose quippe usque ad Messiam unico Populo medebatur DEus, hinc porrò toti Mundo præstaturus est medicinam. Medicina Israëlitica quin Israëlitis bona fuerit, non dubitamus, quòd verò eadem sanando sufficiat Mundo, pernegamus. Medicina, quò pluribus convenit, eò debet esse perfectior; quòd si autem omnibus conveniat, jam longè diversa est ab illa, quæ virtutem suam, ad unum tantùm habet alligatam.

Atque hanc Doctrinam eleganter habes explicatam in Libro Fundamentorum, quam nostro sensu huc transferre poteris.

CAPUT VI.

DIces autem fortasse: Sanus sum, & æger cùm fuero, primam experiar medicinam. Nam, cùm prima sanat, altera supervacua est. Verùm, quod dicis, verum non est; sicut enim duplicis sunt generis morbi, ità duplicis quoque sunt generis medicinæ. Alia est ægritudo corporis, mentis alia. Qui mente æger est, mentis exoptat medicinam: qui corpore, ad corporalia recurrit medicamenta; & sicut corpus myrrhâ sanatur aut alöe, sic mens cordis restituitur contritione. Peccato commaculatur anima, & infirmatur, mundatur contritione. Neque possibile est, corporale quidpiam, ùt corporale est, cordis causare munditiem, & animæ sanitatem.

Quid igitur, amabò, qui in Legem peccaverit Mosaïcam, facturus est ut sanetur? Si juxta antiquæ consuetudinem Legis vaccam adduxerit; Respondebit ei Omnipotens DEus: *Non accipiam ex domo tua vaccam*; Si vespertinum adoleverit

leverit Sacrificium ? Dicetur ei : *Nolo Sacrificium vespertinum* ; Si holocautomatum immolaverit ingentem vim, dicet ei DEus : *Satur sum ; pinguedinem arietum non desidero.* Quid igitur faciendum Mosaïcæ transgressori Legis censes ? Audi : Sacrificia DEI sunt spiritus confractus. Quasi dicat : nisi generalia adsint Sacrificia, quæ cordis continentur contritione, nihil particularia proficient, quæ bestiarum consistunt in immolatione ; indeque est, quòd primus homo propitium peccato suo invenerit DEum, quia scilicet contritus erat. Aut si id admittere renuis ; dic mihi, ubi legales tunc erant Cæremoniæ ? Dic etiam ; quomodo Patriarchæ, antequam Mosaïca inventa fuisset medicina, sani mente perstiterint ?

Hoc exprimens dixit David : *Beatus homo, cui Dominus iniquitatem non imputârit.* Beatus Judæus, non dixit, sed *beatus homo*, seu Judæus sit, seu non. DEI etenim hominibus peccata non imputantis gratia, non in determinato aliquo pendet Sacrificio, non in ritu sita est particulari. Quod quidem in omnibus totius Mundi Nationibus, ac ipsis Noë Filiis est videre, qui cordis contritione peccatorum veniam obtinuerunt. Atque ad hunc modum dicimus, illam iniquitatis non imputationem abundantis illius gratiæ, non verò manuum nostrarum esse opus. Ac præsertim si quis contendat Sacrificiorum meritô illam deberi.

Ad hæc quid sequatur aliud, quàm Messiæ diebus uni propria terræ cessatura esse Sacrificia ; cùm illius salus ad terræ terminos se extendat.

CAPUT VII.

HActenus Mosis Legem non posse in diebus Messiæ subsistere, ex ejusdem tum particularitate, tum insufficientia demonstravi ; hinc verò quarumlibet cæremoniarum abrogationem ex Principiorum Theologicorum necessitate explicabo. Sed antequam singula proponam argumenta, unam præmitto distinctionem.

Sciendum itaque est: omnia omnino cæremoniarum genera ad Numinis cultum esse ordinata; qui quidem cultus in duas divisus est partes, quarum prima ad animam spectat, quô nempe anima DEo adhæret: altera econtrariò ad corpus, quô ipsum corpus & corporales potentiæ in DEum diriguntur; atque hic cultus vocatur cultus exterior, cujus tota perfectio in signis quibusdam spiritualem cultum designantibus sita est. Hoc verò inevitabile censetur, quòd exterior cultus cultum sequatur interiorem, illique hic semper debeat assimilari; quemadmodum etiam Psalmista ajebat: *Cor meum & caro mea exultaverunt ad DEum vivum.* Cor meum exultavit, & caro mea pariter exultavit; cor meum intus, caro mea extra; quidquid facit cor meum, facit caro mea; cor meum exultat, etiam caro mea exultat; cor meum exultat exultatione spirituali, caro mea exultatione corporali. Cor meum sinè voce, caro mea voce; cor meum DEO adhærendo, caro mea adhæsionem hanc exteriùs ostendendo, sive per Sacrificia, sive per quascunque alias res corporales.

Huic duplici Cultûs Divini distinctioni suffragatur Philosophus, dum hominem, eò quod intellectu ex & corpore sit compositus, ad humanam pervenire perfectionem posse negat, nisi utrumque in ipso perficiatur. Et secundùm Sententiam quidem Magistri Joseph Albo non assequitur homo perfectionem suam, nisi & DEI cognoscat voluntatem, & eandem exteriùs exequatur. Non exequetur autem cum merito, qui animô non adhæserit Numini: gloria quippe exterioris obsequii ex animi adhærentia ortum habet. Quod Philosopho Pythagorico Herocli in mentem venit dicere, nostra videlicet sacrificia, siquidem nullâ aliâ offerantur mente, quàm ut Bestiarum mactatarum sanguine aræ contaminentur, præter ignis nutrimentum esse nihil; nihil ad colendum conducere DEum, qui à corporeis sejunctus qualitatibus, non colitur corporeis duntaxat rebus. Atque ità vides, interiorem cultum esse causam exterioris, remque in se absolutam, exteriorem verò esse effectum, & signum rei in se perfectæ, absolutæque.

CA-

CAPUT VIII.

AUdiamus itaque quo demùm pacto adhæserint Patres nostri DEO, aut quo eidem adhæsuri sint Justi, cùm Messias apparebit. Extra controversiam etenim est, duplicem adhærendi modum, à duplici hoc exigi tempore. Ante Messiæ igitur tempora, confidentiali quâdam ad DEum opùs erat adhæsione, quò anima in fide sua staret credendo, DEum beneficia sibi toties jurata, & in tabulas relata, certò præstaturum esse. Quocirca exterioribus tunc oblationibus, ac immolationibus nihil testati sunt aliud, quàm se credere futuris temporibus promissa DEI adfutura. Erantque hæc signa, tum tempori, tum internæ quoque habitudini accommodata.

At verò mensurâ illius ætatis exactâ, præsente jam Messiâ, & cum illo, præsentibus & jam bonis donisque omnibus, aliam inchoare mentis adhæsionem, est necessarium, quâ & DEum fateamur stetisse pactis, & debitas ei ob beneficia gratias referamus. Sacrificia verò, & si quæ reliquæ sunt futurorum exspectationem contestantes cæremoniæ, vel ex hoc solo cessent, quòd nec confessionem, nec gratiarum actionem ullam videantur præseferre.

Cæterùm adverte singulas temporum partitiones, & singulis convenientes ritus colendi DEI diligenter observa. Ab exilio Adam usque ad Legis promulgationem, quod primum appellamus tempus, nondum erat hominibus imposita sacrificandi forma, non numerus præscriptus victimarum, non locus datus; sed quod unicuique bene visum erat, id ibi, ubi volebat, DEO offerebat. Tempore exhinc altero, quod totum illud complectitur annorum spatium, quo Legis promulgatio ab Adventu Messiæ distat, & forma imponi, & numerus præscribi, & locus dari. Quanquam utì priùs, ità etiam adhuc, solâ Creatori adhæsum est Spe, & Fide venturorum. Illa tenebatur danda felicitas, quam Raziel, ut quidam scribunt Magistrorum, Adamo revelaverat: futurum, ut genus omne hominum per unum iterum Legatum DEI homi-

nem ad primæva ſua ſolatia rediret. Ob idque Angelo illi nomen eſſe ajunt Razieli, quia *Raze Ehl*, arcana DEI, Adamo patefecerit. His nixi juſtorum omnis ſocietas, ſuo quique tempore, in variis Fidei ſuæ exteriùs adhibitis indiciis ſeſe exercuêre. Jam tertio illoque ultimo tempore, quando oculis Meſſiam videri datur, hominem primis uti exercitiis, & quaſi ſemper clamare, ſibi nondum præſtitam eſſe fidem, quis ferat? Nè ipſi profectò quidem Magiſtri Judæorum.

In Medraſcha namque omnia docent deſitura eſſe ſacrificia, unô Confeſſionis excepto Sacrificio. Ut ſcires, Sacrificia, quæ ad futuri temporis beneficia credenda fiunt, tam diu obtinere, quamdiu, quod creditur, non apparet. Quod ſi enim apparet, datum fatemur, quod dandum credebamus. Et ſicuti ad Redemptionem futuram refertur fides confidentiæ, ità ad præſentem fides Confeſſionis. Fuerit ſedenim antiquis etiam temporibus Confeſſionis aliquod & Laudis Sacrificium, illud à noſtro, de quo ſermo nobis eſt, diverſum eſſe, clarè ideò patet, quòd futuri nulla ſit Confeſſio.

CAPUT IX.

PAulò diffuſiùs de hac Sacrificiorum, & Legis totius mutatione, ut loquamur, magnum quoddam nos admonet fundamentum.

Quiſquis DEUM eſſe, Factoremque ſuum eſſe novit, noverit etiam eundem illum ſibi totis viribus neceſſariò colendum eſſe. Ad regendum huncce cultum, DEUS Iſraëlis Filiis Legem dederat, & gentes reliquerat exleges. Non quidem omnis prorsùm expertes legis, ſed Moſaïcæ ſolùm. Eſt etenim ſingulis Nationibus rationis quædam Lex non ſcripta, ſed inſita, quam naturæ Legem vocamus, & ex qua ſeptem illa Noachidarum Præcepta emanârunt. Fatentur autem utrique, Judæi videlicet ac Gentiles, ſe peccatores eſſe; illi quidem, quòd eorum nullus totam ſe obſervâſſe Legem, pleneque cuſtodiiſſe audeat gloriari: hi, quòd naturale rationis dictamen ſæpenumerò ſe videant neglexiſſe; adeò ut Pſalmiſta

mista exclamârit : *Fœtuerunt, redditi sunt abominabiles præ malis actionibus, nullus agit benè.* Subjecitque de omnibus omninò mortalibus verbum : *Universim quivis recessit, cuncti nihilo valentes, nemo, nè unus quidem, agit benè.* Æquum sanè est, unumquemque suam juxta Legem judicari. Israëlitas quidem juxta Mosaïcam, juxta naturalem Gentiles. Ast de unoquoque jam Lex pronunciavit mortis sententiam.

Mortis inquam non temporariæ, sed æternæ, prout M. Joseph Albo docuit. Nam qui peccato læditur, fine caret; quare & pœna, quam læsioni commensurare oportet, fine carebit.

Hactenùs aliam Legis utilitatem non perspicimus, quàm quòd transgressores sui peccati damnat, pœnamque taxat peccato. Ex altera deinde parte, quâ Sacrificia ordinat, quanquam absolutionem à pœna meditari videatur, nihilo tamen facit ampliùs, quàm si Sacrificia nulla essent. Esse enim, & veniam non posse impetrare, quantùm ad præsens, unum idemque est. Diximus verò pœnam peccato debitam fine carituram, & hic fine contenta suo esse Sacrificia dicimus. A' finito infinitum excludi non posse, dicere nihil opùs est. Præsertim cùm Magistri asserant, sex primi hominis prærogativas, inter quas & vitam numerant, ità ab eo, posteaquam peccâsset, ablatas fuisse, ut nondum sint restitutæ : demùmque in diebus Messiæ seu Filii Peretzi nostro generi fore restituendas. De qua autem loquantur vita, Majemonides declarat, vitam animæ ab Adamo ablatam scribens. Sex ergo dona ab Adamo, totaque ejusdem stirpe olim alienata (pœnæ siquidem, uti Albo laudatus innuit, genus contingunt non personam) neque per innumerabilem Mosaïcorum sacrorum numerum, neque per ullas lavationes, purgationes, atque alia ejusmodi Legis Mysteria, nobis adhuc sunt restituta; sed per Filium Peretzi adferenda exspectantur.

Quære nunc ex me, cujusnam adhæsionis adminiculo deperdita redeat mortalibus vita? Quid illud sit, quò, quæ demerito suo mortuæ sunt animæ, vivere iterum incipiant? Valeant homines iniquitate positâ, æquitatem sanctitatemque

auſpicari ? Ego certè illud fuiſſe, ſemperque eſſe non inconvenienter omninò contendo, quod vitæ Auctori nos conjungit. Quantumcunque enim magnum Holocauſtorum numerum accenderis; ſi fide in Peretzi Filium careas: nè exiguum quidem vitæ momentum unquam adipiſceris. Ille vitam reducit, illi adhæreat, qui vivere cupit. Holocautomata vitam non reducunt, fruſtra igitur ſunt, dum hâc fide deſtituta ſunt. Sic vixerunt Patres, ſic, Habacuc inquit, *Juſtus in fide ſua vivet.* Juſtitia animæ vita eſt, Meſſias Juſtitia noſtra apud Jeremiam dictus eſt. Ab hoc quô elongaris, eô mortuus es tempore. Quare conſequentia ad hæc ſunt: Primùm omnes Moſaïcæ Legis Profeſſores, magni coram DEO peccati eſſe reos, ac in Gehennam præcipitandos; ſi Juſtitiam Sacrificiis attribuant, eamque ibi, & non in Meſſia quærant. Tum Sacrificia, nè fruſtra eſſent, fuiſſe ſigna Spei Patrum, Fideique eorum, ut confortatis uſque ad Meſſiam cordibus, in veri DEI cultu permanerent; qui eos ex animarum ſuarum morte per Meſſiam eripiebat. Denique ut Meſſiæ populares, præ reliquis Mundi Gentibus, incontaminati ab Idolorum obſequio perſiſterent.

Conſidera amabò, Lector mi ! An non tibi ſtultus videtur appellandus, qui acceptâ jam actu vitâ, cor ſuum, manusque ſuas exercet in rebus eum de accipienda vita lactantibus ? Sic eſt, qui poſtquam Meſſias venit, vitamque actu reduxit, ſe exercet in Sacrificiis prioribus. Summæ profectò inſipientiæ genus, exſpectare præſentia. Majus Summô, ea, quæ in ſe quidem nihil habent utilitatis, totam verò deſumunt à futuro aliquo; tunc nihilominùs facere, quando nihil eſt ampliùs futurum: ſic ſunt, qui præſente Meſſiâ, faciunt ſacra, quæ ideò bona tantùm ſunt, quia venturum profitentur.

Quapropter bene mihi dicturus videor: oportere univerſum Mundum ſub beata Meſſiæ tempora unicâ illâ teneri Lege, quæ eum in Sanctitate, animique Pietate conſtituat: non illâ, quæ animas ad Sanctitatem præparet. Idque ob Meſſiæ meritum, cujus actualis exiſtentia Mundum facit actu pium & ſanctum, ejuſdemque, ut loquuntur, futuritio diſponit ad Sanctitatem actualem. Volo dicere: Legem, quæ Iſraëlitis data

fuit,

fuit, Matrem esse fidei, quam plantari in cordibus Mundi necesse erat, quousque credita venirent: natâ fide, præsentibusque creditis confestim Lex ad nihil est ampliùs, nullus illi supereſt finis, nulla actio. Certum verò est, Legem, cui finis & actio non sunt, esse, Legem desiisse.

Nunquid de Abrahamo Scriptura loquens ait: *Et credidit Abraham DEO, & imputatum est illi ad Justitiam.* At quando putas imputatum est? Cùm in Circumcisione, & Cærimoniis esset, aut cùm sinè illis? Posteriori utique modô. Imò in circumciso, & eo qui Legis mandata custodit, nè quidem uti vocabulô eodem possumus imputationis, quô in præputiato usi sumus. Circumcisus siquidem, & Legalis Mercedem suam accipit pro observata Lege ex condicto, instar debiti: exlex autem, fidelis tamen, ex gratia, instar doni.

Clarè monstratur in Scriptura adducta: Præputiatos non minùs esse justos ac circumcisos. Nisi quòd circumcisi credunt à Lege edocti, præputiati credunt, sed sine Lege. Utrique Justitiam obtinent, propter eum, in quem credunt; nisi quòd Circumcisi aliqua circumferant Signa obtinendæ, quæ præputiati non habent. Utrorumque Justitia Messias, nempe antequam adsit existentiâ Physicâ, eos veluti in dispositione retinet; cùm adest, in forma ponit. Non ità quidem, quasi nulla esset Justitia ante Christum existentem. Justitia intuitu futuri, illô præsente, intuitu præsentis Justitia est.

Dices: non decere aboleri Circumcisionem, minùs inutilem vocari, etiam plantatâ jam perfectè in cordibus hominum Messiæ fide. Sigillum enim est fidei. Et Cærimoniæ Sigilla sunt fidei Israëliticæ. Nihil autem cogit nos violare Sigilla fidei, propter fidem. Lubens concedo, Circumcisionem Sigillum esse fidei, sed vel ex hoc ipso, quia Sigillum est, violanda est. Duplex enim fidei exercitium est, Credere venturum & mittendum: ac iterum credere venisse, ac missum esse. Sit Circumcisio Sigillum primi, alterius Sigillum esse non potest. Tu sigillâsti tuam fidem de futuro in Circumcisione, ego, qui præputium porto, non signavi. Sed age, jam quod credidimus futurum uterque, factum est. Signemus fidem nostram de facto; quorum ridicula foret obsignatio de futuro.

CAPUT X.

INgens illa ac planè ſtupenda Benedictio, quam jurejurandô pollicitus eſt Abrahamo DEUS, & quâ omnes terræ totius gentes fruituræ erant, ad temporaria ſpectare commoda, nullo potuit pacto. Nam ſecundùm accuratam Legalis Doctoris conſiderationem, pretioſa Ethicæ veritas eſt, tempori huic & corpori adſtrictam felicitatem, toties in miſeriam degenerare, quoties ab animi felicitate, illaque, quam homines poſt mortem exſpectant, Beatitudine eſt ſeparata. Quis mihi, amabò, bene eſſe credat, ſi corpori leve quidem bonum, menti verò teterrimum accidat infortunium.

Ex quo hoc elicio conſectarium: debuiſſe Benedictionem illam Gentilium, in una è peccato emancipatione totam fuiſſe ſitam, adeò ut, quod ad hoc attinet, nihil præ Ethnico habuerit Iſraëlites. Nisì enim per Meſſiam Regem beatus redderetur Mundus, auferentem peccata, nihil præterea haberet Abraham, in quo admodum gaudere, & de quo tanta ſibi promiſſa ſcribi deberent. Eſſet enimverò vetulus multorum Filiorum Pater, eſſet Author immanis hominum multitudinis, eſſet Genitor peccatricis Sobolis: quæ in oculis Genitoris ſui, ad perpetuam damnata mortem, ad pœnas detruſa infinitas ob offenſum numen infinitum, magnum (ſcilicet) ſolatium illi excitaret. Quare liberare Nos à concluſione illa non poſſumus, quæ promiſſam fuiſſe Abrahamo Gentium exoriturarum liberationem à crimine, inferebat, quæque nos commoneſaciebat Spei noſtræ in Meſſia Pacificatore Judicii collocandæ. Egregiè profectò illi ſentiunt, qui in prima Abrahamo facta apparitione, docent DEUM T. O. M. amico ſuo revelâſſe, ſe ex Filiis illius, ſuſcitaturum magnum illum Liberatorem.

Inde eſt, quòd Magiſtri veſtri ſcripſerint, Meſſiam iniquitates noſtras portaturum. Jeſaias quoque ait: *Nisì Dominus Exercituum reliquiſſet nobis reſiduum, ferè inſtar Sedom periiſſemus; & ſimili Gomorhæ exitio deletì fuiſſemus.* Reſiduus Heb. *Scharid* in Gemmatria ad eundem, ad quem ſequentia vocabula

bula ascendit numerum : *Ze Moschiach Melech ben David.* Is est Messias Rex Filius David. Sensus verò Scripturæ est : futurum fuisse, ut, nisi ex semine Israël DEUS Israëlitis selegisset unicum Residuum Semen, Filium Stirpis Abrahamicæ unicum, descendens ab axe ignis orbem incendisset. Addidit deinde Prophetes : *Justos efficiet servus meus Justus plurimos, & eorum scelera ipse sustinebit.*

Audite ergo, viri fortes omnes Sapientes, & in Lege versati : Lex vestra non facit Justum, Messias facit ; Lex vestra non fert vestri locò iniquitates contractas, Messias fert ; Lex vestra non adducit Mundi felicitatem, Messias adducit. Quâ porrò præfidentiâ in diebus Messiæ usum Legis vestræ adstruetis ? In illius diebus, qui Justos vos efficiet, non tamen per Legem, sed sicuti Abrahamum Patrem nostrum sinè Lege per fidem.

CAPUT XI.

UNumquemque seu Judicum seu Scribarum minimè ignorare arbitror, pacta & conventa, quæ semel legitimè à duobus vel pluribus sunt erecta, ità vim suam semper obtinere, ut à nullo superveniente alio irritari, graviora reddi addendo, aut leviora valeant detrahendo. Cujus rei hæc est ratio : quòd ille, in cujus manu ab initio fuerat, pacto suo aliquid inserere, seu minuere pacti articulos, censendus sit, se ad nihil voluisse præterea adstringere, quàm quod fœdere eo modo inito comprehenditur ; si nihil adjecit, mutavit nihil.

Atque id, quod de hominum pactis certissimum est, de DEI Benedicti illius pacto tantò magis verum erit asseverare ; quantò immutabilior & veracior est filiis hominum DEUS.

Iste ergo DEUS, dum icit Fœdus cum charo suo Abrahamo, ejusque posteritati, imò gentium omnium multitudini portentosam adpromittit Benedictionem, non Circumcisionis, non cærimoniarum facit mentionem : non adstringit beneficium ad illud consuetum, *Si*, si carnem vestram circumciderit-is, si Mosaïca susceperint sacra ; ut palam faciat temporibus

Messiæ, qui sæpèdictam Benedictionem orbi est invecturus; neminem fore obligandum legalibus institutis, ut accipiat cum illis id, quod gratis eum esse accepturum spoponderat. Aut iniquum esse Deum statuamus. Sed absit. Iniquus enim verò esset judex, qui demortui Principis hæredes, ad opera quælibet & homagia compelleret, quos Princeps testamento hæredes scripserat substantiæ, laboris & obsequii omnis legitimi suppressô titulô. Quia bene voluit Princeps, adeunt hæreditatem, non quia onera præstari sibi certa jussit. Et utcunque ejusmodi sint introducta onera, hæredes à capessenda hæreditate eorum neglectus non impedit; quia delectus nunquam ligavit. Qui à nobis Mosaïca nunc exigit onera, & Hæreditariam Benedictionem Legis meritô tempore hoc nobis dari vult: is simul, si audet, dicat: Abrahamum Patrem nostrum à DEO fuisse deceptum; siquidem quod sinè onere addixerat, sinè onere dare detrectat; si dicere hoc non audet, liberos nos abire ad patris bona patiatur. Eadem ratio evincit, neque carnales Abrahami posteros diebus Messiæ, legalibus homagiis imposterum fore obstringendos; Neque enim quod toti Mundo dandum erat sinè Legis vigore, solis Judæis vigore Legis obtingere debuit, præsertim cùm pro illis non sit adjecta in Testamento exceptio. Postquam etiam data est Lex, & observata multorum Sæculorum tractu, Benedictio tamen data non est. Ostendimus enim, Peretzi Filium eam dare debuisse. Quare sive Lex aliquando data fuisset, sive non, perinde Benedictio præstitutô tempore fuisset subsecuta; ipsique Judæi, tum singulæ gentes à peccatis exemptæ, prout jam olim æterno sanxit Consilio Numen, ut ex pura puta Pietate sua, non ex Legis alicujus præscripto, humanum genus liberaretur.

Ad quid, inquis, Circumcisionis Præceptum impositum est Abrahamo, si in Juramento cum DEO inito nulla Circumcisio carnis est comprehensa? Ut haberet signaculum Fidei & Justitiæ. Placuit enim DEO Abrahami Justitiam interim usque ad Messiæ tempus hoc sigillo obsignare, quod necessariò rumpere deinde debuit, quo sub eo delitescens Abrahami Justitia

ſtitia orbi manifeſtaretur. Non tegant igitur Judæi ampliùs Circumciſione Juſtitiam, ſed auferant Circumciſionem, ut Orbis Juſtitiam aſpiciat univerſus. Volo dicere: non jam Abrahamidæ ſoli, ſolâ carne Abrahamo Succedentes, adipiſci ſe Juſtitiam Patris ſui præfidant, ſed eam, quam antequam caro Abrahami ſignaretur, jam ſcripturâ teſte Abrahamus fidelis habuerat, fideles itidem Abrahami Filios habituros fateantur. Juſtitia ſignata, Juſtitia reſignata, eſt Juſtitia Fidei ab omnibus, qui Abrahamum imitantur, occupata; ſed tamdiu tantùm ſignata, quamdiu ab uno populo occultata, deinceps autem reſignata.

Alia eſt Legis ratio, videlicet ut Tutoris ad Pupillum. Sub illa crevit Abrahami poſteritas defunctô Patre; cùm verò adoleſcunt Filii, emancipantur, aufertur Tutor.

Parabolam adferamus: Amicum habebat Eparchus quidam, cùmque eum ſingulariter diligeret, Eparchiam ſuam ipſi, filiisque ejus donavit. Veritus autem, nè æmuli hominis, ipſum, filiósve ejus olim poſſeſſione depellerent, Chirographo annulique ſigno donationem confirmavit, conſtanter teſtatus, non violentiâ, malis artibus, vel habendi libidine huic hominum generi Eparchiam acceſſiſſe; ſed ab Eparcho ſponte & amicitiæ nomine illi amico aliquando ſuo conceſſam fuiſſe. Factumque eſt, dum tertius volveretur annus, ut vir inter vivos eſſe deſineret, filiis adhuc infantibus. Et Eparchus amico ſuperſtes, Tutores illis ſecundùm Leges dedit, donec ad annos præfinitos eſſent perventuri. Quô factô convocatis ad ſe amici filiis ait: Poſſidete Eparchiam, quam donavi Patri veſtro, & Chirographum mihi reddite; nè poſſitis illius exhibitione prætendere, nondum factam Eparchiæ ceſſionem. Æmulos quod attinet antiquos, eos timere nihil eſt opùs, omnes namque veſtri jam fratres ſunt effecti.

DEUS Sanctus Benedictus, juravit Abrahamo ſe peccata Mundo ſuo remiſſurum, & adducturum Regnum Cœlorum, dicens: *Faciam te Gentem magnam, & benedicam tibi.* Statimque credidit Abraham, & imputatum eſt illi ad Juſtitiam. DEUS autem fecit illi Chirographum h. e. Circumciſionem:

Omne Masculinum apud vos circumcidetur : & transactâ generatione illâ, cùm Patres implevissent jam dies suos, dedit DEUS eorum filiis, qui urgente persecutione inimicorum, parvi nimis facti fuêre, Tutorem, h. e. Legem, quâ regente paulatim sub manu Mosis adoleverunt, & ad timorem nominis cœlestis educati sunt. Circumcisionem denuò confirmavit propter hostes, & æmulos adhuc superstites. At verò cùm ad summum pervenerint magnitudinis suæ gradum tempore Christi, Chirographum ab eis repetet DEUS; quia mortuum est Chirographum, & nullius usûs; dum, quod eô promissum est, impleri desiit. Ritus quod attinet Tutorios, ad quos, dum sub Mose essent, adstringebantur, non ampliùs ii quidquam ad emancipatos. Infans iis utatur, sed qui infantiam sunt egressi, & Reges constituti, aliis tenentur juribus. Inimici tunc etiam cessant, juxta Isaiæ Vaticinium : *Et adducent fratres vestros ex omnibus gentibus, filios alienigenæ adjunctos Domino, ut ei ministrent.* Isa. 56. Cessat igitur Chirographi altera utilitas, & postrema.

CAPUT XII.

ILlud, quod præsenti Capite enucleandum suscipimus, ut & priora, & quæ his succedent, lucem accipiant, est : Peccatum primi hominis non tantùm ità esse humanæ vulnus naturæ, ut in solo maneat Adamo, cæteros afficiat imputatione quadam, non inhæsione; sed ità singulorum hominum occupare animam, ut dum è ventre matrum egrediuntur, reatum jam illum secum adferant, & in se habeant, quô miseri sunt, & infelices.

Dixerunt Magistri in Tractatu Thalmudis, qui Sanhedrin inscribitur : *Præ foribus peccatum accubat.* Peccatum est hoc loco concupiscentia, fores sunt uteri materni claustra. Hæc aperiuntur, hoc intrat. Sive aperiantur, dum nascitur, sive dum concipitur, intrat. At qui demùm intrare concupiscentia, nosque vinctos trahere ad sua possit imperia, non per-

perspicio; si à peccato aliquo in nobis dominium suum non accipiat. Neque enim suspicari fas est, Conditorem hominis DEUM Optimum, tantum in anima hominis creare mali. Idque tantò magis, quantò apud Magistros est Doctrina constantior, Adamum tot fuisse donis à Creatore suo cumulatum, ut Angeli ad Ministerium DEI deputati, dum eum ante soporem intuiti sunt, admiratione pulchritudinis illius suspensi, illum ferè fuissent adoraturi.

Supereſt jam, ut dicamus, in Creationis exordio nullum fuisse concupiscentiæ in hominem imperium, totum verò infortunii pondus tunc incubuisse homini; cùm inauditâ temeritate prohibitæ fructum arboris gustare cœpit, & pro donis tam admirandis, tam ingratus fuit; ut nè pomo quidem in Authoris gratiam putaverit abstinendum. Et sanè justissimo talione, perdidit, quod pietate & gratiâ Numinis maximâ antè obtinuit. Spoliatus est donis omnibus, & ipsâ animæ quoque vitâ. Impii etenim adhuc dum vivunt, mortui sunt; ut commune fert Magistrorum Proverbium. Tunc statura illius à cœli apice usque ad terræ superficiem, tunc Regnum ipsius dominatusque vastissimus, &, quæ aliis allegoriis designari solent prærogativæ, omnes perierunt. Perierunt autem non ipsi modò, sed toti speciei, ut ait Albo. Hincque est, quòd omnes omninò homines in uno nascantur crimine, quod crimen Patris nostri, peccatum primitivum vel antiquum solet vocitari. Cum hoc crimine intrat concupiscentia, ab hoc suam habet Tyrannidem, vires, dominatum.

De hac re scripsit Isaias: *Pater tuus primus peccavit.* c. 34. Comment. Radak: Iste est homo primus; nam homo innaturatur in peccato, & concupiscentia cordis ejus ad malum fertur ab adolescentia ejus. Nunquid autem DEUS Benedictus satis justus est, & innocentem sicut non punit, sic peccatorem tantùm concupiscentiâ malâ vexari sinit? Quod tamen in contrarium afferri posset, est frequens illa vexatio & afflictio, quam super homines perfectè justos, & nulli obnoxios culpæ interdum ruere videmus: adeò, ut ex concupiscentiæ malæ pœnali malo, nondum liqueat in nobis esse

peccatum, quod eâ punitur ratione. Sed ingens inter pœnas discrimen intercedit. Aliæ enim sunt pœnæ, quas nè propriè quidem pœnas dixeris, quæ amoris sunt effectus; dum quos diligit, corripit DEUS, ut amoris tentet constantiam. Aliæ sunt medicinæ, dum graviora iis amolitur ab homine mala, eæque omnes in corpora nocendi exerunt vim, in animam nè damnum redundet. At pœna, quæ animam aggreditur, bonis illam omnibus spoliat, mera est pœna, & semper peccati pœna; cùm aliæ pœnæ, nec semper sint pœnæ, nec semper peccati pœnæ. Quapropter legimus in solenni illa Justi Job vexatione: ità datam esse Sathanæ nocendi potestatem, ut animam servaret. Certè non est tanta in animæ vulneribus aut pulchritudo aut utilitas, ut gratis, & solo beneplacito ea inferat Numen; nec est inter vulnera horribilius ullum, quàm mala concupiscentia. Protracto hucusque argumento per Scripturæ, & Magistrorum effata, rationem subjungamus: Corpus quidem ità animæ substruitur, ut ejus bona animæ bonis servire debeant consequendis; anima verò nulli præter DEUM alteri subditur, & quidquid boni in illa reperitur, non in corporis commoda, sed in DEUM, qui animæ tota est felicitas, referri debet. Itaque anima sibi quasi ipsi & soli servit. Ex hoc inter corpus animamque ordine, sequitur, plagas quæ justo infliguntur, esse bonas, utpote animam ejus vel sanantes, vel ad DEUM erigentes; plagas autem, quæ peccatoris animæ imponuntur, esse malas, utpote animam commaculantes, atque à DEO in Gehennam procul præcipitantes. Has innocenti DEUS infligere nequit; igitur si in aliquo sunt, propter inexistens peccatum sunt: illas innocenti infligit; igitur si in aliquo sunt, non continuò peccatum adest. Ex priorum numero esse concupiscentiam clarum est; igitur peccatum in nobis est, dum illa in nobis est. Est autem ad uteri portam, utì diximus; igitur & ibi peccatum est. Idque ex mente Magistrorum. Jam consequentias (ut ajunt) rerum hucusque dictarum persequamur:

Consequentia 1. Quidquid bonorum animæ Adamo ablatum est, reverti ante Messiæ tempora non debuit.

2. Sub

2. Sub Lege ante Messiam mortui fuêre homines : nam inter ablata, est vita animæ. Si tamen aliquos misertus, eripuit DEUS, Messiæ intuitu, in quem illi crediderunt, eripuit.

3. Lex Mosaïca, & Christiana in eo diversificantur, quòd justos hæc efficiat, illa minimè. Seu quod idem est, vivos hæc, illa non.

4. Felicitas & Benedictio Gentium Abrahamo insinuatæ, de peccatorum relaxàtione, non de bonis corporalibus, præcipuè intelligi debent ; nam cum his adhuc manet maledictio peccato debita.

5. Dum præfatam Benedictionem Orbi in Abrahamo promitteret DEUS, non expetiit Legis opera, vel præputii abscissionem ; Sed omnia in solo semine danda pronunciavit. *In Semine tuo*, Gemmatricè : *Hoc est in Filio tuo glorioso in Redemptore Rege.*

6. Non adstringetur Mundus ad Ritus Mosaïcos : cùm Messias venerit ; ut eorum ope Beneficia Divina accipiat.

7. Qui contendit Mosaïca statuere sacra ad Benedictionis Divinæ consecutionem necessaria, is arguit DEUM erroris : quasi non in merito Messiæ, sed in dictis sacris fuisset hominum salus collocanda ; infert insuper, Mosem tulisse peccata Mundi, non Messiam : Prophetasque tum in hoc, tum in aliis prædicendis mentitos fuisse.

CAPUT XIII.

MEssias Sacerdos erit, sicut Scriptura de illo dicit : *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis. Juravit Dominus & non pœnitebit eum, tu es Sacerdos secundùm ordinem Melchisedek.* Apud Magistros sententia reperitur, hunc Psalmum de Messia intelligendum docens, ac M. Saadias Gaon, aliique complures in eam iverunt. Quod verò dicitur *secundùm ordinem Melchisedek*, habet affinitatem cum illo Zachariæ : *Rex tuus*, Malchecho, veniet tibi *Justus*, Zadik.

Cùm paulò diligentiùs Sacerdotis officium inspexeris, invenies Messiæ omninò sacerdotalem debuisse obtingere dignitatem ;

tatem; quò ea, ad quæ venerat, exequeretur. Primò enim ad Sacerdotem pertinet Divina populo Mysteria tradere, resque eò spectantes apud homines suos moderari; quod etiam facturum Messiam, idem ipse Psalmus præsagit: *Populus tuus spontaneus in tempore bellorum tuorum, in adytis Sanctuarii*, intellige: *Comparebit*; ut ibi doceatur à te, quidquid ad DEUM ritè colendum est necessarium. Aliàs frustra subjiceretur: *Tu es Sacerdos.* Deinde Sacerdotis est, vice totius populi DEUM publico cultu afficere, quòd populus in ejusmodi cultura non satìs sit versatus. Hoc quoque de Messia prædixit Zacharias: *Audi, quæso, Jehoschua Sacerdos magne, tu & sodales tui, sedentes coram te; sunt enim viri admirandi. Ecce ego adduco servum meum* GERMEN. Targum Jonathanis: *Messiam.* Ut vobis in colendo me succedat. Aliàs quid ad Jehoschuam & sodales ejus, tam singularis admonitio. Rursùs ex ore Sacerdotis exquirenda est Lex, & de Messia vaticinatur Isaias, illum nempe hunc in modum ad Gentes locuturum esse: *Audite me Populo meus, & Gens mea ad me advertite: Lex enim ex me egredietur, & Judicium meum in lumen Gentium splendescere faciam.* Demùm Sacerdos pro populo intercedere debet mediator. At notissimum est, Messiam plurimorum crimina in se esse recepturum. Hæc tamen in Israëlitici & quotidiani Sacerdotis, & in Messiæ interpellatione observanda est differentia, quòd Israëliticus oves pro peccatoribus substituit, Messias seipsum sive animam suam in victimam pro peccato sit daturus, ut in Jesaia habetur; *Ad purgandas Gentes multas* inquit Jonathan, non populum duntaxat unum; ut inveni in Jalkute. Potissima tamen differentiarum utriusque Sacerdotis est, quòd vulgaris ille debeat esse ex semine, & secundùm Institutionem Aaron, morti obnoxius, successorem relinquens; Messias verò ex semine David, secundùm instituta Melchisedeki, immortalis, successorem nescius, ad mentem Authoris Libri Netiboth Haalom.

Duo itaque & valde diversa sunt Mosis & Messiæ tempore sacerdotia, duo & diversi ritus; alius cærimoniariæ usus potestatis. Nihil illi commune est cum morituro, qui & moritur

ritur nunquam, & procedit ab æterno. Quare ut minimum dicam, saltèm quoad hæc, quæ Sacerdotii mutationem contingunt, Mosaïca mutetur Lex, est necesse.

CAPUT XIV.

PRæterea cùm vidissem in Talmude conceptis verbis duplicem tantùm Palæstinæ terræ hæreditationem Tract. Jebamoth adstrui, excludi tertiam: quod in Tract. Nidda confirmatur, ea mox mihi injecta mens fuit, ut hâc Traditione, ad singulare aliquod uterer Mysterium, inferremque nec tertium eos habituros esse Templum, nec Jerosolymam tertiam, in queis videlicet more in prioribus Templis receptô, sacra peragantur, & sicut in duabus Jerosolymis, sic in tertia eadem Præcepta localia observentur.

Porrò Traditio antedicta fundamentum habet in verbis Mosis: *Et adducet te Dominus DEUS tuus in terram, quam hæreditaverunt Patres tui, & hæreditabis eam.* Bis scriptum est *hæreditaverunt*, *hæreditabis*, tertiâ vice scriptum non habetur hæreditandi verbum.

Sed fuerit fortasse aliquis, qui dicat, Messiam tertium Templum esse ædificaturum: Et si quidem hoc ità se habeat, alium verba Magistrorum sortientur sensum ab illo, quem in nostra explicatione præseferre videntur. Idque eò ampliùs, quòd etiam Ezechiel in fine Prophetiarum suarum tertii Templi ingerat mentionem. Ad hæc ex Commentariis R. Salamonis super Thalmudem respondeo: *De cœlesti illa & superna Jerusalem loquitur Scriptura in fine Ezechielis.* Verba sunt dicti Sapientis, Tract. Sanhedrin c. Chelek. super Gemaram. Insuper Rabba versum ex Ezechiele desumptum, in quo 18000 milliarium ambitus urbis futurus describitur, de præmii latitudine spirituali, quod Justi possidebunt, explicavit. Quin & Doctores Talmudici suâ Linguâ Sanctuarium Ezechielis, vocant habitaculum, quod est coram DEO Benedicto. Q. d. quod in hoc Sæculo nequit reperiri.

Et scito, Textum Ezechielis, si in sensu accipiatur, quem sola verba exhibent, juxta humanam rationem concipi nequaquam posse. Terræ etenim habitabilis ambitus, si maximum sumamus numerum, 5400 milliarium erit. Quomodo jam una urbs, quam Ezechiel vidit, tam portentosæ, ut præmisimus magnitudinis in terra esse potest? Sanè urbs cum Sanctuario, cum portionibus singularum tribuum, Levitarum, Sacerdotum, & Principis, multis vicibus terræ proportionem superare deprehenduntur.

Tandem de illo Templo dicitur, DEI Omnipræsentis Majestatem in Sæculorum Sæcula in eo permansuram. Quare ex Elementari materia non constabit, hanc enim corruptioni subjecit DEUS. Quî vero credam, in re finem acceptura, sinè fine præsentem esse DEUM. Vide, quàm validè utrinque stringaris, & ad inconvenientissimas res adigaris; nisi nobis consentias, dicasque: Prophetam ad excellentiorem urbem, Templumque excellentius in Cœlo olim spiritualiter exædificandum respexisse.

CAPUT XV.

CElebris ille Gaon octodecim rerum meminit, quæ in Mundo Medio *Maschon* dicto reperiuntur, quæque Analogiâ servatâ in mundo superiori totidem sibi res correspondentes habent. Est autem *Maschon* Tabernaculum, cujus vasa & apparatus ad significanda in Archetypo Mundo Mysteria adhibentur. Hinc factum est, ut nullus jam pœnè sit inter Judæos Doctor, qui hujusmodi figurarum explicationi non insistat. Tanquam si omnia corporea in Tabernaculo totidem sint, ut ajunt Cifræ, quæ legi non possunt priùs, quàm evolvatur earum significatio. Auctor, qui vulgò Bahal Haturim dicitur, earum quasdam explicuit de Messia, & addidit Scripturæ ex Traditione, quod non invenit in simplici enarratione. Ac quantumvis ea, quæ in textu recensentur, vasa Tabernaculi, secundùm Physicam & corporalem existentiam ibi fuisse fateamur; nihil tamen impedit, quò minùs singula è regione suas ha-

habuisse Spirituales Analogias asseramus. Sic Ecclesia Fidelium, DEI est Tabernaculum, cujus Lampas & Candelabrum, est fides cum Doctrina illuminantes omnia. Sic Mensa cum panibus, omnis generis refert Eleemosynas. Sic Sanctum Sanctorum, quod est retrò sanctum, locum futuræ vitæ & Ecclesiam supernam designat, à Magistris familiari vocabulo dictam, Academiam superiorem. Sic Arca Mercedis cœlestis, & Cherubini, Angelorum, nostrorum quondam sociorum fuêre præambula.

Itaque juxta Ideam futurorum factum est à Mose Tabernaculum, idemque Spiritu Sanctô instigante, prohibuit Sacerdotum Levitarumque turbam à Sancti Sanctorum ingressu, quod semel duntaxat in anno uni Sacerdotum primipilo patere voluit. Quid enim sibi vult aliud Sacrificiorum victimarumque innumerabilis inter atria multitudo? quàm legitima Mosis sacra, & temporum Messiam antecedentium holocausta, in futuræ beatitudinis recessus inducere neminem posse. Quocirca & Sacerdotes extra Sancta Sanctorum offerunt, in illa nunquam penetraturi. Unus autem in anno semel ingreditur Sacerdos magnus cum sanguine, quia unus tantùm effusô in vita sua semel sanguine propriô Messias, vitam nobis reserare debet æternam. Quod Sacerdotes victimis facere nequeunt, ille suipsius facit Holocaustô. Verbô: Quamdiu sacrificant isti, non patet Cœlum: cessent isti, faciat ille, Cœlum patet. Neque enim otiosus est DEUS. Si Sacerdotum legalium Sacrificia eam habuêre efficaciam, quâ Sydera adiri possint, ad quid Melchisedekanum juramentô addicit Sacerdotium Messiæ DEUS? Quare non manet Aaronis successio æterna, siquidem suis illa Sacrificiis omnia, quæ ad felicitatem non perituram spectant, valet procurare? Otiosâ Sacerdotum multiplicatione quid tandem efficiet DEUS?

Sed otiosam hanc nolim dicere multiplicationem, quod enim non est concessum Aaronico, Melchisedekano habetur in Sacrificio. Virtute cassa Sacrificia, toti energico, toti vita, cedant Sacrificio Regis Messiæ.

Atque hæc in subsequenti Capite fient dilucidiora.

CAPUT XVI.

UBicunque in Scriptura Sacra repereris vocem *Expiationum*, meritò Sacerdotis eas peragi certus esto. Verbi gratia: *Et expiabit illam, & mundabitur*, q. d. quod si non expiabit, non mundabitur; in expiantis enim sanctitate sita est mundatio. Quare si omninò impius fuerit Sacerdos, nullum unquam poterit expiare immundum, quia expiationes illius DEO sunt abominabiles. Idem ipsum in oblationibus quibuslibet est cernere, quæ quantùm in ipsis est, nullam continent virtutem gratiæ, in hominis animam effundendæ; sed cùm offerens piè sanctèque est dispositus, beneficia à lege insinuata ei tum obveniunt, secùs dispositò nunquam obventura. Sanctus sit, & pius, qui per oblationes sanctitate & pietate ex se destitutas, aliquid cupit impetrare. Unde Aggæus ait: *Sic populus, sic gens ista, qui in loco sancto immundum offerunt.* Sic populus, Sacerdotes intelligit, sic gens ista, plebem notat. Immundum offerunt, quamvis ut sunt periti legis, quæ de immundis mundisque decernit, non offerant quidquam nisi mundum. Sunt namque prævaricatores ipsi, & inobedientes voci Domini, languent in ædificio domûs novæ, ac idcircò immundum offerunt, etiam dum offerunt mundum; quia in animo nulla est munditia. Et profectò Vates in eodem loco negligentiæ illos arguit circa fabricam, non circa ritum immundorum. Per os autem Jeremiæ ità eos alloquitur indignans DEUS: *Nihil de Holocaustis locutus sum cum patribus vestris, quando ex Ægypto illos eduxi, nihil tum de victimis offerendis statui, de immolationibus nihil.* Quod Kimchius ità exponit: Dum in Sina de oblationibus verba facerem, non dixi: *Volo unusquisque mihi offerat vestrûm*; sed his usus sum verbis: *Si quis sponte aliquando mihi quiddam offerre voluerit, hoc modô faciet, aut illô.* Ecce quàm nihil sit Sacrificium, si non adsit bona voluntas. Ecce quàm non petat illud DEUS propter illud, sed propter offerentis accipientisque devotionem; uti pluribus in Jeremia est videre, qui in obedientia Divinæ voci

voci præstanda omne collocat Sacrificium. Quòd verò holocausta conceptis verbis præcepisse legatur DEUS, id laudatus Kimchius ad domûs magnificentiam, non ad offerentium utilitatem aliquam, si aliunde nihil promerentur, testatur pertinere. Sacrificium pro peccato tunc tantùm ex Legis mandato est offerendum, cùm ignorantiâ peccârit homo, idque non eâ intentione, quasi peccatum tollatur Sacrificiô, sed ut, teste eodem Kimchiô, videns homo ovem mactari & comburi, admoneatur sibi brutales appetentias suas mactandas, & subjugandas esse: nè iterùm delinquat. Adde illos, qui protervià Legem violant, non habere ullum Sacrificium, quod offerant pro peccato, in Lege designatum.

Sed jam acriùs in rem præsentem intueamur, examinemusque ad qualem demùm meriti gradum Sacerdotum Sanctitas ascendere potuerit? Et in vestibulo mox nostri examinis occurrit, Mensura Judicii, sic ab Hebræis dicta, quam nulla humana Sanctitas exæquare potest. Vult quippe Justitia animam mori, quæ peccaverit, non animal. Igitur ex hac parte Sacrificantium pietas mihi videtur instar straguli, ut Isaiæ utar Phrasi, quod nimis est breve: & instar strati, quod totum corpus nequit excipere. Præsertim si attendatur illorum misera conditio, quæ omnes unô involvit peccatô.

Progredientibus nobis in instituto examine videbitur in DEO non esse infinitam Justitiam, siquidem præter Sacrificia, & offerentium pietatem, non habeatur expiatio alia. Hoc habet Justitia infinita, ut pœnam infligat æqualem delicto; eumque, qui in DEUM infinitum rebellis fuit, puniat infinitè. Nam pœna dignitati, non offendentis, sed offensi commensuratur. Jam si merita consulas Sacerdotum finita sunt, & Sacrificia ex parte misericordiæ se tenent, non judicii, uti præmisimus. Itaque semper quidem miserebitur DEUS, semper suscipiet pro homine ovem; pro pervicaci verò transgressore nihil, semper exiguô illô, quod necdum nostrum est totum, pietatis officiô contentus machæram recondet, nunquam reddet malo secundùm malitiam ejus, h. e. nunquam infinitam exeret justitiam, etiamsi offensus fuerit infinitè. Quod con-

sectarium ut evitarent Magistri vestri, Messiam in Medraschâ quapiam super Cantica Canticorum appellaverunt : *Botrum Cypri.* Venustâ sanè Paronomasiâ : *Eschol Copher* pro *Ischol Copher. Botrus Cypri* pro : *Vir qui omnia expiat.* Hujus merita excedunt omnium merita, hic mundo expiationis est causa, & super ipsum, ut habetur in Chagiga c. En Dorschim, Machina Universi est ædificata, in ipsius Justitia subsistunt omnia. Quod perceptu est facillimum ; si cogitemus : Creaturas neque subsistere posse in Sacrificiorum Justitia, quæ nulla est in illis ut separatis à pietate offerentium : neque in propria Justitia, quæ peccato universali contaminata est, ac præterea ipsi Prædecessores nostri, & Capita Gentis Abraham, Isaac, & Jacob in aliquo saltem aliquando defeciisse legantur : & hôc etiam interim suppresôˆ, quid Justitiæ DEI cum Justitia hominum commune, an hæc illam ità exhauriet ? ut dicere possit : *Satis est.* Sanè quantumcunque homo altè in pietate & sanctitate ascenderit, Mensura Judicii nè quidem ad hæc respiciet, sed integram semper sibi vindictam, infinitam nempe conservabit.

Compendiôˆ, quæ diximus, colligamus : DEUS infinitè Justus, Justitiam suam haud dubiè in malitiam infinitam exercebit. Sed exercere non potest, nisì vel puniendo, vel expiationem infinitam pœnæ locò accipiendo. Primum non ; destruxisset enim Mundum, quem construxit ; secundum igitur. Expiationes verò legales non sunt hujus naturæ, utì ex dictis liquet ; expiatio Messiæ è contrario & infinita, & totius Mundi est restaurativa, alia igitur est ab legalibus. Ac tanta inter has & illam est differentia, quantus supra finitum, infiniti est excessus.

Id quod egregiè admonet Zohar, dum inquit : *Nisì esset oblatio, non possent subsistere superiora, & inferiora.* Quòd verò non sit ei sermo, de oblatione legali, quæ est secundùm misercordiæ acceptationem tantùm, non secundùm rigorem Justitiæ, palàm fit ex adjecto : *Non possent.* Nam sicut cum Sacrificio legali possent, sic sinè illo æquè possent. Nam misericordiæ perinde est vel parùm, vel nihil accipere. At sinè

Messiæ

Messiæ Sacrificio *non possent*, quia Justitia illa destrueret. Oportet hîc vim Divinæ Justitiæ bene capere, eamque ut omnis Justitiæ fontem considerare; nè nobis imponat mala opinio, quæ Mundum stare solâ misericordiâ, non verò etiam infinitâ Justitiâ, nobis persuadet. Expiatio Messiæ, est quædam quasi naturalis nostræ justificationis causa. *Egredietur ut splendor Justitia*, ait Divinus Vates. Ex splendore disce Messiæ, ejusque oblationis proprietatem. Splendorem nullus meretur hominum: sed cum sole venit communis omnibus. Venit cum Messia Justificatio nostra, tam suo principio, quod sunt merita Messiæ naturalis, quàm soli splendor, tam nobis immerentibus, quàm splendor solis, terræ & reliquis creaturis.

CAPUT XVII.

MEssias est finis Regni Judaïci; utì in Spiritu Sancto vaticinatus ait Jacob: *Non recedet Sceptrum de Juda, & Dux de femore ejus, donec veniat Siloh.* In Paraphrasi Jerosolymitana sic redditur: *Non deficient Reges ex domo Juda, neque deerunt Doctores Legis ex filiis filiorum ejus, usque ad tempus, quô veniet Rex Messias; cujus erit tum Regnum, super omnia Regna, nam omnia Regna Terræ servient ei.* Vult dicere: Nullus ampliùs post Messiam Rex est futurus; siquidem ipse finis Regum est & coronis. Solus subjugabit universa, & concludet priorum gloriam. Quemadmodum enim ab immensa solis luce, tenuis Lucernæ splendor absorbetur: sic ab ipsius Divina planè Potestate, omnes aliæ excludentur. Audi Danielem c. 7. *Ipsi dabitur Imperium, & Gloria, & Regnum, omnesque Gentes, ac Linguæ ei servient. Imperium illius, Imperium æternum, quod non cessabit, & Regnum ejus non finietur.* Commentaria R. Saadiæ habent: *Non corrumpetur in Sæcula Sæculorum.* Plurimæ hujusmodi prærogativæ passim occurrunt in Scripturis; integer quin adeò Psalmus 72. huc respicit, & finis Obadiæ non aliud Prophetiæ suæ objectum habet.

Sicutì ergo Regnum Messiæ omnibus aliis prædicatur magnificentius, & felicitas etiam Politica sub ipso describitur per-

perfectior à viris DEO plenis; ità pariter necessarium est, Legem, quæ est altera Regni potiorque Pars, non in antiquo permanere statu, sed crescere, sed perfectionem, quâ ad illud usque tempus caruit, accipere; ut secundùm prædictionem Jacob, Messias non minùs Regni sit complementum, perfectioque ac limes quidam Sceptri, quàm Legis, & Sacrorum omnium terminus. Non deficient Reges, non deficient etiam Doctores Legis, verba sunt morituri senis, donec Messias veniat, amborum finis. Æquum profectò, ut qui est Rex maximus, coram quo reliqui subsistere non possunt Reges, idem sit Doctor maximus, coram quo reliqui Doctores evanescant. Hinc est quòd Magistri vestri, in Expositionibus Mysticis Ecclesiastæ c. 11. disertè pronunciaverint: *Nos in diebus Messiæ docendos esse Legem, cui nulla alia possit comparari.* Quid quòd Legem veterem in comparatione Legis Messiæ, *Hebel*, h. e. vanitatem appellent.

Et verò particulatim investigemus, quid unicuique Legis membro accessurum sit perfectionis. Illud imprimis certum est, Legem in tria dispesci membra, in Notitias, Cærimonias, & Judicia. Primum quod attinet, ii, qui tunc victuri sunt, specialiter circa notitiam DEI illuminabuntur, & confortabuntur, sicut in Jesaia habetur: *Replebitur terra notitiâ DEI, sicut aquis operitur mare.* DEUS siquidem Ter Opt. M. infundet hominibus quasdam veritates, pretiosissima Mysteria, quæ eò usque nulli infudit. Sic ait Rambam: *Erunt res clausæ, & profundæ, apertæ omnibus.* De Sapientia Messiæ prophetat Jesaias: *Requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus Sapientiæ, & Intelligentiæ.* Quid autem aliud est primum Legis membrum, quàm rivulus quidam inexhaustæ Sapientiæ DEI? hæc porrò super nullum ità quievit, sicut supra Messiam, à nullo itaque ità potuit in reliquos derivari. Augeatur Sapientia in Doctore, augebuntur dogmata, & Maximæ à Discipulis condiscendæ. Et quid aliud clamat Joël dicens: *Effundam Spiritum meum super omnem carnem.* Comment. Radak: *Veniet tempus, quo noscent me notitiâ perfectâ, & Spiritus meus, iste est Spiritus Intellectûs, & Notitiæ, quia in quibusdam illorum purificabitur intel-*

intellectus, & confortabitur facultas rationalis; adeò, ut prophetaturi sint, eruntque in eis diversi Prophetiæ gradus: sicut in antiquis Prophetis fuêre, & fortè etiam erunt aliqui in eo gradu, in quo fuit Moses. Hucusque Comment. Radak. Additque totô tempore Legis Mosaïcæ Israëlitas novisse DEUM notitiâ solùm imperfectâ, cùm pleræque res in Lege DEUM, animamque concernentes tenebris sint involutæ, quæ novâ luminis effusione perspicuæ fieri debent. Præterea sunt apud DEUM Ter Opt. Max. res aliquæ sublimes, & Mysteria, quæ primis non revelavit Prophetis, sed usque ad Messiæ tempora reservavit patefacienda. Si enim patribus non revelavit nomen suum quatuor literarum usque ad Mosen; quantò potiùs credendum est, quædam DEUM tecta usque ad Messiam reliquisse, quem magis decet habere prærogativas pandendi abstrusa, quàm Mosen; cùm Mose sit superior.

Ex dictis manifestè colligitur, debuisse Messiam ad Legis notitias adjicere quaspiam ad hoc temporis ignotas veritates, ut impleretur factum Psalmistæ promissum: *Testamentum meum, & Testimonia, quæ docebo eos.* Itaque dicunt Magistri: Justos in diebus Messiæ reddendos fortiores in obsequio DEI, quod sinè majori robore intellectûs, quoad veritates supernaturales, intelligi nequit, quomodo fieri valeat; siquidem omne agens intellectu præditum, secundùm dignitates intellectui notas, operatur. Quid, quòd eadem conclusio, ab argumento à pari, evidentiam accipiat? Diximus Regnum Legis necessariò conjunctum esse cum Regno Sæculi; si ergò gradum Regni sæcularis majorem tribuunt Messiæ, quàm reliquis Regibus: quare eundem de Regno Legis inficientur?

Hic jam de 2da Legis parte, seu de Cærimoniis ipsis instituenda disceptatio, inquirendumque: quo hæ modo sint adepturæ suam perfectionem, suppositô semper; quòd Redemptor 2dus, Redemptore primô in omnibus referat, quanquàm excellentiùs. Ac proinde, quantùm ad præsens negotium, Messias sit daturus Cærimonias, antiquis multò præstantiores; quia cum Legis Doctores omnes, ac ipsum etiam Mosen, superaturum esse, Targum non ità pridem laudatum, clarè insinuat. Igitur secun-

da Legis pars complectitur res apud DEUM Benedictum (ut loquuntur) volitas, quæ ab ipsius promanant voluntate, & attributum *Volentis* manifestant. Vocatur autem hæc pars Chukim h. e. Ritus, estque summa eorum Præceptorum, quorum ratio literalis ignoratur. E. g. Præceptum de non edenda carne suilla: Præceptum de non miscendo in vestibus lanam, & linum: de non serendo agro semine duplicis generis: de vacca rufa: & hujusmodi. Ad hunc modum de Sacrificiis ratiocinati sunt Magistri vestri, appellantes ea, beneplacitum merum DEI, cujus nescitur causa. Quapropter altiùs omnia repetentes, deprehendimus, tunc aliquam rem, cujus ignoratur causa, perfectionem suam videri assecutam apud homines, quando causa ejus patescit. Tunc ergò Messias Cærimoniis ultimam adjiciet manum, quando ostendet, quâ quid ratione, quóve factum sit intuitu; quâ v. g. occultiore significatione vacca debuerit rufa offerri, & sic de aliis; ut nec ulla remansura sit Cærimonia, cui interiorem sensum non sit adjecturus. Patefaciet etiam, præcipuam DEI in Sacrificiis intentionem, monebitque, eam potiùs, quàm opus ipsum materiale esse exequendam. Hæc enim executio, ut posteà declarabitur, multò est perfectior.

Tertia Legis pars ea complectitur omnia, quæ æquitatem inter homines promovent, removent iniquitatem. Vocantur Judicia; iisque, utì & Cærimoniis, nova Messiæ temporibus accedet perfectio. Quod sic ostendo. Judicia à Potestate DEI intelliguntur emanare, sed super nullum unquam tantâ plenitudine Spiritus Potestatis ac Fortitudinis resedit, quantâ super Christum; nunquam igitur ità perfecta esse debent æquitatis Præcepta in Mundo, ac Regnante Christo. Aliò itidem argumentò res liquet: Messias Judex Gentium vocitatur; jura ergò extendet, & terminos Judiciorum Israëliticorum dilatabit. Id quod prævidens Psalmista ait: *Gaudebunt & concinent Gentes; quia judicabis Populos in æquitate, & Gentes in Terra consolaberis.* Sælah! Iterùm: Populus, qui debet esse in statu Justorum perfectorum, debet regi Judiciis tali statui convenientibus. Hæc autem sunt: Sufferre injurias libenter

&

& oppressiones, amare proximum, nec modò amicum, sed & inimicum. Hôc factô ascendent Judicia ad possibilem perfectionem; & non tenebimur ultra Judiciis antiquis: *Non parcet oculus tuus. Animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede*. Non placebit tunc libellus repudii: nam sub imperio Rectoris sui, qui vocatur: *Mansuetus*; subjugabunt appetitum irascibilem. Porrò quod diximus, tunc multiplicandos esse Justos perfectos, fundamentum habet in Majemonide, in explicatione Deuteroseos, dum inquit: *Non est Regnum Messiæ cibus & potus; vel voratio magni bovis &c. sed bona animi habitudo, & appropinquatio ad DEUM.*

CAPUT XVIII.

QUisquis Notitias Legis, reliquasque, quas diximus, partes, incrementa sumpturas fatetur, juxta ea, quæ scripsimus, & quæ R. Aben Ezra in Comment. Isaiæ adnotavit: is mutandam esse Legem, ex imperfecta in perfectam concludat, necesse est. Diligenter verò observandum est, Legem perfectam, & Legem imperfectam non differre specie; nam perfecto, & carenti perfectione in eodem genere, v. g. in genere Legis, una semper est communis species. Simile habemus in natura. Mobili non mutatô, & ad alium terminum non translatô, non mutatur motûs species; quamvis motus, quò est propinquior termino, sit perfectior, & quò remotior, imperfectior. Pari ratione, etsi Lex Messiæ magis DEO admoveat animam, & ad finem supernaturalem dirigat efficaciùs: unius tamen est cum Lege Mosaïca speciei; quia terminus, & subjectum manent invariata. Scito etiam: inter Mosis, & Messiæ tempora, interjectô spatiô crevisse Populum DEI, sumptâ proportione ad incrementum temporale, in Regno spirituali; quod idem eventurum à Messia usque ad Mundi finem habet Prophetia Jacobi. Postquam autem ultimam incrementi metam attigerint, crescere desinent; sicut puer, postquam virilem attigit ætatem, non crescit ampliùs. Numquid eadem viro, quæ

puero traduntur Præcepta, & non multò perfectiora ? Quod vir observat actu, hoc puero diversis pingitur figuris, & similitudinibus, ut saltèm umbratili gaudeat pugnâ, qui pugnare non potest reapse.

Figuris interim, ac Similitudinibus dupliciter utimur. Aut propter recipientis debilitatem, qui necessariis caret dispositionibus tunc, cùm ei Præcepta traduntur; aut propter rei, quæ tradenda est, profunditatem, & à nullo quantumvis disposito sinè figura capi potest. Ejusmodi sunt veritates verissimæ de DEO, & rebus Divinis, ac falsitates falsissimæ nullâ ratione conceptibiles. Nam summa veritas, & summa falsitas, æquè umbris indigent ac picturis, ut intelligi possint; quocirca & Poëtæ, ut fabulas, in quibus nihil est veritatis, credibiles efficiant, veri quasdam addunt lineas, similitudines adhibent, coloribus falsitatem obducunt & incrustant; sicque intelliguntur. Ac etsi Lex DEI nihil contineat fabularum, sed purissimam nos doceat veritatem, altissima proponat Mysteria; vel ob hoc ipsum tamen, ut eas intellectui nostro reddat accommodatas, nonnisi similitudinum velo obvolutas ad nos deferre debet. Pura & puta veritas, quando supremo est locata in gradu, oculos perstringit, velata recreat. De his veritatibus constanter asserimus: eas ante ingressum in Patriam cœlestem revelandas non esse; de aliis naturali ferme judiciò statuimus, tunc esse aperiendas, cùm in dispositione virili fuerimus, quia solius infantiæ causâ nos latebant. Non secùs enim Mundum in gratia observare ætates voluit DEUS, quàm in natura. Et quemadmodum qui puerulo ligneum offert equum, facto jam equiti & viro, nè mentionem quidem umbratilis injicit equi; ità DEUS T. O. M. postquam aliquanto tempore Mundum promissis detinuisset, eaque, quæ facturus erat olim, diversis expressisset iconibus; completò jam tempore rem offert ipsam, imagines delet.

Imagines Legi Divinæ sunt essentiales; non enim est Lex DEI absque Fide; Fides homini ostendit Beatitudinem æternam in Libris Magistrorum Vitam venturi Sæculi dictam; Vita æterna, & media præordinata à DEO ad illam, non possunt non

non esse occultissima ; quippe non visô fine , tecta esse ad finem media, est consequens. Tecta, inquam, quantùm ad intimam eorum naturam: aperta, quantùm ad externam figuram. Fundamentalis autem hujusce asserti ratio repetenda est ex Fidei proprietate. Hoc habet Fides proprium , ut quamvis sit in animæ facultate intelligente, à voluntatis tamen affectione, &, ut ajunt, pia motione separata non sit ; nè cum notitia & ratiocinio conveniat; quæ circa res sensui aut menti visas, ac deprehensas versantur: non quia volumus, sed quia scimus, vel experimur. Quisquis credit, quia vult, credit ; quisquis videt, quod velit, ut credat, non habet. Sed nec qui credit, cæcus est penitùs, sed ex parte videt. Id quod nostro Sermone Ænigma, Speculum, Figuram appellamus.

Sed propiùs accedamus. Fundamentorum Mosaïcorum unum est Messiæ adventus ex mente Majemonidis ; illi an aliqua olim præmissa sit Figura, videndum. Ac primùm quidem toto tempore Legis , adventus Messiæ erat res futura , non visa, sed videnda, & credita fore, ut videatur. In quo ergo interea videbatur ex parte, si non in Figuris , & Imaginibus ? Et sanè nisi sic visam fateamur : nescio, quomodo tam constanti Spe, Legis Mosaïcæ Professores ad Messiæ diem attenderint; quod enim nullatenùs videtur, longo tempore, à rudibus præsertim, nec memoriâ, multò minùs spe conservatur. Deinde fundamenta nostra, non sunt fundamenta Fidei otiosæ, sed actuosæ ; igitur circa singula , quædam habenda sunt Præcepta, ut cum energia credantur. Volo dicere: quasdam constitutas esse actiones Fidei protestativas ; quæ ut actu exercentur, actu præsentem habent materiam , Imaginem nempe futuri ; ut autem significatione extenduntur in longinquum, nihil habent præsens. Demus hoc hic, adesse Messiam ; necessariâ mox consecutione dandum erit , significationem præsentis rei in actionibus nostris inveniri. Quô admissô ; ultrò concedemus Imaginem præsentis, materiam esse actionis illius, ut diximus, protestativæ. Hæc est illa tantopere mutata Figurarum ratio ; quam paucis verbis insinuaverunt Magistri vestri, dicentes : Omnes Prophetæ de solis Messiæ diebus prophe-

taverunt, & futura tunc gaudia prænuntiaverunt; sed de gaudio vitæ illius, quæ dicitur vita futura, debemus accipere textum Psalmi: *Oculus non vidit, præter te, DEUS.* Q. d. *Nec Propheticus vidit oculus, quæ præparaveris diligentibus te.* Admiserunt ergo in Lege picturas & DEI Typos, admiserunt & Typos Messiæ, sed hoc discrimine; quòd Typi Messiæ aliquando oculô sint videndi in hac vita, & arcana ejus, ipsâ probanda sint experientiâ, quod ad eorum actualem attinet existentiam: at verò Typi futuræ felicitatis ità sunt absconditæ significationis, ut oculô corporeô nunquam sit videndum prototypon, & tandem ubi mundus desierit iste corruptionis plenus, nec citiùs, mente videbuntur bona, quæ sensum exsuperant. Ex dictis unum inferes corollarium: Typos videlicet æternæ gloriæ semper mansuros Typos, usque ad gloriæ adeptionem; Typos venturi Messiæ, tamdiu tantùm futuros Typos, quamdiu Messias non advenit.

CAPUT XIX.

MAgister Joseph Albo apud suos Sapientiæ laude clarus in Libro Fundamentorum p. 3. c. 21. inquit: *Lex idcirco vocatur Testimonium, quòd ad literam intelligi debeat; sicut reliqua Testimonia.* Enimverò si hodie Testimonium perhiberes, à Sorte occisum fuisse Socratem, & cras id velles intellectum de Eleemosyna negata, qui utique est sensus extra literam, nihilominùs falsi testis infamiam, pœnasque sustinendas haberes. Quia Testimonii veritas à primo occurrente sensu verborum petitur. Sic si Testimonium de eodem homicidio perhibens, diceres: occisum à Sorte Socratem unâ Sabbathi seu hebdomadæ die; mendacii autem convictus, recurreres ad Sabbathum seu hebdomadam annorum, nónne magis verax haberêre? Ità pariter, inquit præfatus Rabbi, siquidem centies in Sacris Literis, Lex, Testimonii nomine venit, dicendum videtur, illius Præcepta simplici esse verborum sensu accipienda, minimèque recurrendum ad explicationes figurales, vel temporum varietates. Fortassis erit, qui ex hac Albonis

bonis Sententia Argumentum contra Sententiam noſtram ſe adducturum putet, nosque ſe convicturum arbitretur falſitatis; utpote qui præcedenti Capite contrariam opinionem Thalmudicis Doctoribus attribuerimus. Sed ſi rem totam intimiùs conſideraverit, hoc ſaltèm fateri cogetur, noluiſſe Authorem laudatum omnes evellere Explicationes Myſticas, quæ literam comitantur. Nam invenire eſt in Scriptura Propoſitiones quaſdam, quæ nudâ verborum ſignificatione perpensâ, veræ non ſunt. Ut: DEUM eſſe ignem conſumentem. Quale, ſi res ità ſe habet, quantumque hujus erit ignis alimentum? Tales textus, qui de DEO loquuntur, ut de re aliqua corporea, in Libro More invenies explicatos, ordine ſuo, quo habentur in Sacris Libris. Nec eſt dubium, quin ſimilitudinis proportionisve metaphora in illis ſit intelligenda. Præter hoc genus textuum, eſt adhuc aliud genus, in quibus narrantur aut præcipiuntur res faciendæ ad literam; ſed utilitas tota, ac vis non ex opere ſimpliciter facto manat, ſed ex Myſterio: cujuſmodi eſt Serpens ille Æneus, qui teſte Scripturâ datus fuit in *Signum & Portentum*. Neque enim medebatur cujuſquam morſibus, nisì aſpectus peculiari cum animi attentione: ut apud Raſchium docent Magiſtri veſtri. Quòd ſi tota medendi vis fuit in Serpente Æneo, ſinè ulterioris, altioriſque rei ſignificatione, non perſpicio, quî ſinè idololatria ad æs ſimpliciter ſumptum attentos potuerint convertere animos Patres veſtri. Meà certè opinione credere debuiſſent, Serpentem fictum, metallumque exanime, animandi habere virtutem. Quod quidem, quid aliud eſt, quàm dicere Lapidi: *DEUS mihi es*. Ac propterea cum doctis exiſtimo, voluiſſe DEUM ponere Serpentem in ſignum, aut rei cujuſdam futuræ, aut veritatis nobilioris cujuſpiam tunc credendæ; ut meritò Fidei aſpicientes ſanarentur. Eſtque modus iſte tranſmittendi in nos radium Scientiæ ſuæ obvelatum perfamiliaris DEO, Linguâ Cabaliſtarum, ſpecularis & obſcura viſio dictus. Aperi, ſodes, os tuum, libereque edic: DEUM fortuitò & inconſultò ordinâſſe Præcepta ſua, quorum rationes nec homines aſſequantur, nec ipſe apud ſe habeat præparatas; feciſſe, inquam, omnia per jocum & luſum, nihil-

nihilque ad certos fines direxisse. O! Sapientem, scilicet, DEUM, O! Sapientiæ Divinæ nullum finem. O præclarè de Lege dictum: *Hæc est Sapientia vestra, hæc Intelligentia vestra, in oculis Populorum*; ut temerè quidvis faciatis, nihilque ex vilibus istis servitiorum generibus, ut sunt passerum, columbarum, vaccæ rufæ, capri, oblationes, & emissiones concipiatis aliud animô, quàm agricola quisque aut fatuus conciperet. Imò nè DEUS quidem vester quidquam sciat præterea. Sed absit talia suspicari, quin potiùs acriter intueamur, quales harum rerum sint rationes in figura.

Nobilissima Veritatum Judaïcarum est illa, quæ Salvatorem, & Mediatorem Mundo promissum credit; quamque Jeremias expressit, appellans eum Justitiam nostram. H. e. per quem Justitiam possimus adipisci. Hæc Veritas totius Legis finis est. Justitia, Justitia, est, ad quam invehendam Lex elaborat per Cærimonias, per Judicia, per Notitias. *Populus tuus*, clamat Isaias, *omnes Justi in æternum possidebunt Terram.* Sed Lex Justitiam sinè Mediatore non confert. Itaque qui ad illam aspirat, Mediatorem Justitiæ aspiret, in eum credat. Fides autem primò in corde, deinde & in aliis potentiis exterioribus, tanquam instrumentis debet relucere—s. Cor credentis non videt mediationem adeò sublimem sinè velo, partim quia sublimis est, partim quia futura est. Nisi ergo adsit Typus & Exemplar quoddam futurorum, in animo receptum, in exterioribus actionibus delineatum, non est modus credendi, & creditis adhærendi apud mortales assignabilis. Dicere quis posset, omnia, quæ veteres egerunt, esse à casu: esse res, quarum intentio nihil conferat ad Salutem—s. Aut demùm, sicut de Serpente Æneo dicebamus, esse omni salute vacuas & Justitiâ: salutem tamen cum Justitia causare. Quod quàm sit falsum totum, nemo non videt.

Non ego sum is, nè quis mihi id impingat, qui homines liberem à faciendis illis rebus etiam materialiter & simplici sensu intellectis; imò è contrario affero, diu noctuque in iis esse occupandam animam, ut à DEO Justitia nobis obtingat. Sunt enim significativa Justitiæ, habent Mysteria suos effectus, nem-

nempe accipiendorum quandam veluti arrham. Id unum dico: dum promissa adsunt, cessare arrhæ valorem: dum Mediator mediat, desinere mediaturi signa, quodque futurum erat, fieri præsens, futurorum imagini succedere imagines præsentium: sicque sicut verbum præsens differt à futuro & præterito: veniam, à veni, vel venio; sic priores ritus à præsentibus. Verum quidem est, nullum unquam fuisse tempus, quo non oportuerit nos, & patres nostros credere in Mediatorem; quando, qui non credit, à DEO accipere non potest quod non credit; duæ tamen Fidei huic sunt temporis partes: quas jam diximus. Ecce exposui tibi Arcanum Figurarum, quæ hoc modo intellectæ non destruunt Testimonium, sed magis illud stabiliunt; cùm enim tota Lex sit venturi Messiæ Testimonium, etiam verba sunt futuri temporis; & sicut sunt verba, sic est animi sensus: sensui est correspondens actio, actioni res, quam figuram dicimus, sive Ænigma; eò quod locò futuri sit interim substituta, Signi habens & umbræ rationem.

CAPUT XX.

MEdiatoris officium est instrumenta proferre Justitiæ, ut iis usi transgressores Legis, efficiantur justi. Quis verò ex omni hominum genere reperiri poterit, qui non sit transgressor Legis, natus ex Patre transgressore, & reus criminis cum eo? Tota igitur hæc transgressorum colluvies si justa effici debet, per instrumenta in sinu Mediatoris condita voto suo potietur. Mediator unus est Christus, quem Rabbini sic inducunt loquentem ad DEUM: *Domine Mundi, in exultatione cordis mei, & in gaudio animæ meæ, ego accipio super me omnium peccata; ut nec unus pereat ex Israël, & non vivi tantùm salventur in diebus meis, sed etiam illi, qui sunt conditi in pulvere: & non mortui tantùm salventur in diebus meis, sed etiam illi mortui, qui mortui sunt à diebus primi hominis, usque nunc: & non illi tantum sed etiam abortivi, & non abortivi tantùm, sed etiam illi, quos aliquando creare constituisti, & necdum creati sunt.* Hucusque ver-

ba Pesiktæ Majoris. Ex quibus manifestè colligitur, totius Mundi Salutem ad Messiam pertinere.

At enim illi, qui salvati sunt, & justi, ante adventum Messiæ, quibus demùm mediis obsecro sunt salvati? Messias nondum peccata nostra susceperat in corpore suo; nulla ergo adhuc instrumenta parandæ salutis dabantur, quæ meritò Passionis Messiæ, Mundo suppeditari debent. Quidquid illud erat, quo illi salvi sunt facti, objectivum (ut cum Scholis loquar) erat, & per modum finalis causæ, à mente apprehensum erat. Nec sinè imagine; cùm imaginibus quibusdam & idæis intellectio nostra perficiatur. Diligenter etiam considerandum est, operationes, queis humana acquiritur perfectio, duplicis esse generis. Alia est operatio corporalis, alia mentalis, quod Ezechiel venustè expressit, dicens: *Et spargam super vos aquam mundam, & auferam cor lapideum à carne vestra.* Lapis hôc locô nihil est aliud, quàm concupiscentia mala, quæ ex salvandorum cordibus est evellenda, fatentibus Magistrorum vestrorum primariis. Aquarum, quas modò diximus, Symbolum corporale fuit aqua expiationum. Attende autem aquas expiationum reliquisse lapidem in carne hominum; si tamen aliquorum cor lapide tunc vacuum fuerat, id aquis Messiæ est tribuendum. Aquis, ut intelligas actionem corporalem præmitti efficaciæ spirituali, quæ est ablatio concupiscentiæ &c. Sic etiam vaticinatus est Zacharias: *Erit Fons patens, &c.* &c. Hucusque fontes laverunt corpora, animas non laverunt &c. Ab hoc tempore erit Fons lavans animam à sorde peccati; juxta Interpretationem Magistrorum in Sectione *Sulu Sulu* &c. David etiam ait: *Beatus Vir, qui non abiit, &c. Et in Lege ejus meditabitur.* Quid sibi vult meditabitur? Scrutabitur rem è re; è corporalibus intelliget spiritualia, ex aquis, munditiem animi. Hæc meditatio invenitur etiam in expositionibus Magistrorum.

CAPUT XXI.

OBjectum mihi fuit à quodam Judæo : ceſſationem Legis, & Cærimoniarum nondum ex Prophetis à me fuiſſe demonſtratam. Prædixit enim Zacharias loquens de diebus Meſſiæ : *Fietque, ut omnis reſiduus ex univerſis Gentibus, quæ Jeroſolymam venerunt, aſcendat de anno in annum ad adorandum Regem DEUM Exercituum in loco hoc, & ad celebrandum Feſtum Tabernaculorum.* Et in fine Sectionis ait : *Omnis olla Jeroſolymis, & in tota Judæa, conſecrabitur DEO Exercituum ; venientque omnes ſacrificaturi, & accipient ollas, & coquent in eis victimas.* Si coquent, quomodo ais deſituras victimas ? Si aſcendent ad Feſtum Tabernaculorum, quomodo movere potuiſti Feſtivitates Moſaïcas de loco ſuo ? Idque non tantùm dicit Prophetes inter Judæos, ſed & inter Gentes locum habiturum. Objectioni hic poſitæ hunc ego reſpondi in modum : *Omnes ex Zacharia deſumptæ rationes, primò quidem Magiſtris contradicunt.* In Vaikra magna inquiunt : *Omnes Solennitates deſinent, exceptis Purim, & expiationum diebus* ; ubi ergò tunc erunt Tabernacula ? R. David Kimchi locum hunc Zachariæ non ità vult accipiendum eſſe, quaſi Gentes Jeroſolymam ſint confluxuræ ad celebranda Tabernacula ; ſed quia circa Feſtum illud magna Liberatio Judæorum continget, deletis, ut ille putat, Gentibus : ſuperſtites, qui verum agnoſcent DEUM Regem, ſingulis annis circa idem tempus accurrent Jeroſolymam, memoriam patrati miraculi recolentes. Sacrificiorum, exceptô Laudis Sacrificiô, abrogationem, ſuprà ex dictis Rabbinorum ſtabilivi. Ergo ſaltèm contraria ſuis Doctoribus convici locutum fuiſſe Judæum illum. Deinde meum circà hoc ſenſum expoſui. Zacharias, inquam, ſicut & Prophetæ reliqui, dum futura prædicunt, ea verbis ætatis ſuæ deſcribunt ; quomodo enim aliàs intelligerentur ? Itaque dum ollas audimus & Tabernacula, non confeſtim id ità accipiendum eſt, ut præcisè harum ſit rerum uſus perduraturus ; ſed ollarum nomine quævis Divino Cultui dicata vaſa, & per

Tabernacula, Festivitatem aliquam oportet intelligamus. Et sic Propheta, dum eas res vocabulis apud Gentem tunc usitatis expressit, commodioris intellectûs causâ, Synecdochicè locutus est. Valet hic modus explicandi ad multas Prophetias. Supereſt, ut unde digressus sum à primo Capite, eò revertar. Præfixi ego Testimonia duo Rabbinica clarè indicantia mutationem primævæ Legis, & novæ ex ore altissimi pariter prodeuntis successionem; jamque per viginti Capita argumentum præfatum deduxi. Sub finem offert se scopulus quidam ex R. Albone: nam ut est magis Textui Biblico, quàm Traditioni addictus, expressè ait: Mutationem à Rabbinis insinuatam non posse evidenter ostendi ex Scripturis, esseque rem opinione; non necessariâ nixam consecutione. Sed fallitur; apertè enim clamat Habakuk: *Domine opus tuum, in medio annorum vivifica illud.* Opus hic loci est Redemptio Ægyptiaca, Teste Davide Kimchio, quô etiam adstipulante, & plerisque Judæorum, orat Propheta DEUM: velit in Redemptione Messiaca renovare omnia miracula, quæ in prima Redemptione operari est dignatus; inter quæ non minimum est Lex; de qua loquens David ait: *In opere tuo meditatus sum;* & alibi: *In Lege ejus meditabitur.* Sicut prima Lex per Mosen, cui in tota illa generationum serie nullus æqualis unquam fuit, data est; ità secundam dari necesse est per Messiam, cui nullus in toto genere possit exæquari. Idcirco dicit DEUS: *Prophetam suscitabo vobis è fratribus vestris;* & Moses: *Prophetam ex te, ex fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus.* Hic lubet animum laxare Cabalâ. Versus iste, quem in manibus habemus, & incipit & finitur in litera Nun. Nun 50. notat, quia Mosi 49. solùm intelligentiæ portæ patuerunt, Messiæ 50. h. e. omnes. In versu hoc sunt 10. voces, quia Messiæ verba, instar Decalogi erunt audienda. Demum *Cmoni*, sicut me, per Ziruphicam Arbak. Facit: *Soboles mea.* Quia DEI Benedicti soboles erit Messias.

EPI-

EPILOGUS.

COncludendum itaque est: Messiæ Legem non Legem tantùm esse, quæ quid agendum sit, præscribat; sed rectitudinem ipsam, quæ ad agendum requiritur, in corde ponat. Data enim est, non in tabulis, sed in animo ipso inserta. Mosis sanè Lex hac ex parte multò inferior est Lege nostra: neque enim vel ipse Moses rectus fuit; sed in quibusdam obliquus, suæ Legis defectu. Regere, & actiones moderari Mosaïcum est: flectere cor, & ad actiones contribuere necessariam vim, Messiacum. Post lapsum siquidem primum, ablata illa bene agendi expeditissima facultas, sive gratia, ità Messiæ soli servata est; ut restitui, nisi morte pro nobis obità, & acceptis supra se piaculis nostris, non potuerit à quoquam. Ac de hac gratia reddenda Pactum nobiscum initum est, quod Fœderis novi nomine hactenus donavimus.

Rogat Authorem Lectorem Libri sui; ut mentem acuat, & intueatur in omnes partes: si quid dubium, si quid non resolutum in hoc Argumento relictum est: id sibi communicet; ait enim, se solutioni operam daturum; cùm veritatem complectatur sinè dolo, DEUMque precetur: nè mendaciô se sinat occupari.

PARS

PARS SECUNDA.

Elapsi sunt omnes termini.

Thalmud Tract. Sanh. c. Chelek.

CAPUT I.

TErminorum, qui Messiæ adventui præfixi leguntur fuisse, primus est: desitio Regum ex Domo Juda, & Judiciorum majorum abolitio, quæ in Camera quadam dolata exerceri solebant. Messias enim à Magistris vocatur Filius casûs, eò, quòd DEUS Benedictus per eum suscitare decreverit Tabernaculum David, quod cecidit. Atqui non cecidit unquam præfatum Tabernaculum horribiliùs, quàm dum DEUS Regnum Assamonæorum transtulit in Herodem eorum Servum, & Domum Synedrii movit locô suô.

Terminus secundus. Domus Sanctuarii secunda; ante devastationem namque illius, veniendum erat Messiæ, ut Malachias inquiebat: *Et subitò veniet ad Palatium suum Dominus.* Dominus, id est Messias, prout ex Kimchio suprà retulimus. Existere igitur Palatium seu Templum Domini debebat, tempore adventûs Domini in illud.

Terminus tertius. Duo millia annorum Legis. Scriptum siquidem reperimus, Legem duobus millenariis duraturam, quibus

quibus exactis; duo itidem millenarii Messiæ incipient. Ad hunc modum etiam Jubilæorum numerum præfixerunt Magistri adventui Salvatoris; uti legere est in Gemara laudati capitis.

Terminus quartus. Caput Captivitatis in Babylonia, & Princeps in terra Israël. Ambo hi cessare debent ex mente Magistrorum in diebus Filii David. Hodiernâ autem die nullus est amplius Princeps in terra Israël, ut disertè fatetur Kimchius: *Non habemus hodie*, inquit, *Regem, nec Principem Israëlitam.* Et Jonathan paraphrasticè sic loquitur: *Non habemus Regem ex Domo David, nec quemquam, qui Dominium exerceat super Israël.* De hac Captivitate, & Regum Judaïcorum carentia vaticinatus est Moses: *Advena, qui fuerit in medio tui, ascendet, & superabit te multis gradibus. Tu verò descendes nimium quantùm.* Advena, de quo hic est sermo, est Agrippas Rex. Hactenùs de Principe terræ Israël. Quod porrò attinet Caput Captivitatis è Babylonia, sive 10. tribuum Ducem; evidens est, eum, etsi existeret adhuc aliquis hoc tempore, nihil ad rem nostram impediendam facturum; Decem enim tribus à DEO sunt rejectæ, & ob persistentiam in Babel, ibique exercitam Idololatriam, ex Populo DEI expunctæ. Adde ejusmodi Ducem sic appellari, non propter originem ex Davidica stirpe, & successionem Genealogicam; sed propter Sapientiam majorem, non propter potentiam Brachii sæcularis; sed propter rerum gerendarum in medio Captivitatis peritiam. Hujusmodi profectò Duces in omnibus Provinciis, omnibusque Sæculis usque ad finem Mundi constituentur; quæ causa est, quòd eorum abrogatio nequeat esse terminus Adventûs Messiæ.

Dicendum ergò est, Messiam venire debuisse tempore, quô Duces Genealogici cessavêre, non Duces nominales, qualis fuit, Rabh Thalmudicus; & erunt alii, quamdiu Israël erit, sinè certi temporis termino, jam hic, jam ibi Captivitatem dirigentes potiùs, quàm Captivitati imperantes. Ad hoc perpulchrè accommodatur dictum Simeonis Jochai, qui dicebat: *Quærent Israëlitæ Davidem Regem suum, quia excusserunt Regnum ejus.* Quærent, inquam, non Regnum ducum nominalium, quod

quod non excusserunt, quodque non deerit ipsis unquam, in maximis persecutionibus; sed Regnum hæreditarium David, quod jam olim excusserunt, & cujus defectus indicat, Messiam esse in januis. Idcircò ex persona Simeonis Menasiæ dictum est: *Non ostendent Israëli signum bonum priùs, quàm revertatur ad quærendum Regnum domûs David.* Quod quidem jam sæpe factum; ex quo illud exstirpatum est, & in solo JEsu manet, ut posteà dicemus. Unde Hosseas inquit: *Ponent sibi Caput unum.* Atque id, quod de Regno exteriori dictum est, pari Jure de Regno interiori, seu de Legis Doctoribus & Magistris dicendum est; quamprimùm enim Pater domûs Judicii assumptus est ex alia tribu, quàm Judaïca: & domo, quàm Davidica: utì factum cum Schamai, & Hillel; Sanhed. Elu hen. verificatum est: *Non recedet Legislator de Juda, donec veniat Messias.*

Terminus quintus: Expansio Regni Romanorum super universum Orbem. Et de hoc Termino fit mentio in Sanhed. c. Chelek. Completus verò est in Augusto.

Terminus sextus: Libanon. Qui Terminus occasionem accepit ex textu Isaiæ: *Libanus per Magnificum cadet.* Quis est Magnificus, nisì Vespasianus? & quid est Libanon, nisì Templum? Sic enim vocatur in Paraphrasi Cantici Canticorum c. 4. Huic textui vicinus est alter: *Egredietur virga de radice Jesse.* Quasi dicat: Eodem tempore exorietur virga: h. e. Messias, & Magnificus Templi vestri Desolator. Explicatio præmissa habetur in Libro Gittin c. Hanezikim; confirmaturque quâdam Historiâ inter Arabem & Judæum actâ, quam hìc attexere, quòd nota sit, nolumus.

Terminus septimus: Exstirpatio Idolorum. *In die illo abjiciet unusquisque Idola argentea, & aurea, quæ fecit sibi, ut ea adoraret.* Hoc totum jam præteriisse clamat Mundus noster, in quo nè unus jam invenitur Idololatra. Nec quidquam valet objectio Kimchii: dari nempe in fine terræ ad Orientem populos, qui Idola colant; siquidem in ultimo Orbe jam indies abjiciunt Idola sua Gentes Barbaræ, utì ex gestis Regum eorum videre est, & Chronicis Regum Hispaniæ. Non habe-

mus ergo Gentem, cujus omnia membra sint Idololatræ. Non valet etiam secunda ejusdem Kimchii objectio : adorationem Crucis, & Imaginum argentearum cultum, esse Idololatriam. Notorium namque est, & illi, qui Crucem & Imagines colunt, palàm fatentur, non dare se ligno, & argento cultum ullum, qui debetur DEO ; & infinitis modis minorem esse venerationem statuarum, DEI Benedicti adoratione. Confirmatur ampliùs hic Terminus septimus, & explicatur illius sensus. *Abjiciet homo Idola sua*, & : *Ambulabunt Gentes plurimæ, & dicent : Eamus, ascendamus Montem Domini*, sunt duo textus æquivalentes. In posteriore verò non loquitur Propheta de omnibus individuis, ergo nec in priore. In posteriore Gentes multæ, etiam in priore. In posteriore solùm indicatur abolitio Idololatriæ, etiam in priore ; & nihil præterea. Comparationem inter hos duos textus facit Kimchi, h. l.

Reliquos Terminos à Rabbinis præfixos invenies in Gemmara : V. g. Historiam Eliæ, & Simonis Jochai, cui datus est Terminus in hoc vocabulo : *HODIE*, quô apertè indicatur, elapsos esse omnes Terminos, & restare nihil, quàm pœnitentiam, & opera bona : *HODIE si vocem meam audieritis.*

CAPUT II.

HOc ipsum autem, quòd pœnitentiam & opera bona ad liberationem per Messiam faciendam dicimus esse necessaria, magnam habet dubitationem, & acriter jam inde à principio inter Thalmudicos fuit disputatum. R. Eliezer dicebat : *Si pœnitentiam egerint Israëlitæ, liberabuntur ; sin : non liberabuntur.* R. Jehossua reposuit : Quid verò scriptum est ? *Absque argento redimemini.* H. e. absque pœnitentia & operibus bonis. R. Alexandri inquiebat : *Si digni fuerint Israëlitæ, præveniam tempus liberationis, ait DEUS ; si non fuerint digni, faciam illam in tempore suo.* Contrà dicebant illi, qui fuerunt ex domo R. Eliæ : *Jam multi anni supra præfixum liberationis tempus effluxerunt, propter iniquitates nostras.* Si DEUS constituit tempore suô præfixô liberare Populum, sive dignum, sive indignum : sive

sive pœnitentem, sive non pœnitentem: quomodo multi jam antè anni effluxerunt ultra terminum, propter peccata? In Michæa quoque scriptum est: *Rursus miserebitur nostrî, subjugabit iniquitates nostras.* Dixit David coram DEO Benedicto: *Nos peccamus, & tu iraſceris; & sic numquam liberabimur. Subjuga tandem iniquitates nostras; operibus etenim nostris nunquam assequemur Redemptionis Beneficium.* Hoc habetur in Psalmodia Mystica, vulgò Medrasch ps. 38. Hujus quoque contrarium habetur in eo loco, ubi dicitur: Israëlitas, si tantùm unicâ die pœnitentiam facerent, sicut oportet, extemplò liberatum iri à DEO.

Nè itaque in verbis Magistrorum videamur tantam admittere contradictionem, & ex contradictione doctrinæ vanitatem circa tanti momenti rem; diligenter inquirendum est, quô pactô explicari possint sententiæ oppositæ. Existimo itaque, R. Eliezerem loqui de liberationis consequentiis, & effectis, quæ sinè pœnitentia, & operibus bonis non obtinentur; R. Jehossuam verò de liberatione absolutè, & in se spectata, sive adventu Mediatoris, quem nullæ iniquitates valent impedire; datô, semel certò esse constitutum illius tempus. Et sic conciliantur quoque utriusque Magistri sectatores. Res dilucidè tota ut proponatur: Considera, Messiam venire debere iniquitatum causâ, cùm finis adventûs ejus sit, tollere peccata, sanare nostrarum vulnera animarum, & suis plagis, nostræ mederi plagæ; prout habes in Agada Samuelis: Tertiam nempe tribulationum & pœnarum partem ex toto Mundo impositam esse Messiæ. Jam quis dicet, vulnera esse causam elongationis Chyrurgi? imò verò accelerationis causa sunt; nam omnia suum cupiunt citò obtinere finem. Deinde similia sociantur libenter, æger ægro. Messias autem in c. Chelek, ægri nomine donatur, sensu eô, quem habes in Isaia 9. Nequit igitur concipi, quomodo iniquitates possint esse causa dilati Adventûs. Maximè cùm fateantur Messiam libentissimè toleraturum pœnas, ipsumque adeò DEUM in hac sibi tolerantia complaciturum. Dicant, obsecro, quis impediat illum suô statutas tempore perferre pœnas pro nobis? An fortè

peccata ? Sed hæc pœnas attrahunt, non impediunt. Aut fortasse oppones: DEUM, etsi maximè velit nos à culpa, & pœna absolvere, quia amat Justitiam nostram, teste Isaiâ; nolle tamen sinè præcedente hominum pœnitentia. Sed advertas, velim, justificationem quandam, esse veluti potentialem, & præparativam mediorum ex gratioso, & merè liberali magni Numinis decreto; mediorum autem Alpha est Messiæ adventus; aliam exinde justificationem esse actualem & applicativam, quæ haud dubiè prævia pœnitentia nobis obvenire solet. Resume hîc similitudinem Medici: nam quod est Medicina parata, hoc est Messias orbi natus; & quod est Medicina applicata, hoc est Liberatio unicuique individuo, secundùm particulares dispositiones obtingens. Et bene stat: Messiam venisse, nec tamen Judæos omnes liberatos esse; sed pœnitentes tantùm. Sic intelligendus est utique Talmudis textus: *Elapsi sunt omnes termini, nec pendet res in alio, quàm in pœnitentia & operibus bonis.*

Quod deinde additur de bonis externis, & temporalibus, clarô clariùs est, ea conditioni esse affixa; ità ut minimè mirandum sit, si Populi Israëlitici florem & gloriam non videamus, etiam postquam Messias venit. Ait enim Raschius: omnia quæ David in Psalmo pro Salomone precatus est, completa esse, exceptô hôc unicô: Abundantiâ scilicet pacis, donec auferatur luna; idque propter peccatum. Habemus verò Aben Esræ testimonium: prædictum Psalmum de Salomone non minùs, quàm de Messia intelligendum esse; ergo pariter. DEUS namque honorantes se honorat, & spernentes ipsum confundentur. In Genesi Majore quoque c. 32. reperimus: Filiis Juda & Benjamin ex Babylonia revertentibus, non fuisse factum aliquod miraculum, quamvis hoc haberet Prophetia, propter peccatum nempe ascendentium; ergo pariter in diebus Messiæ. Totum hoc confirmatur ex Lege, Prophetis, & Hagiographis. Ex Lege: *Si in Cærimoniis meis ambulaveritis.* Ex Prophetis: *Si audiveris Præcepta mea, erit sicut fluvius pax tua.* Ex Hagiographis: *Si Populus meus audiisset me, Israël si in viis meis ambulâsset, statim inimicos eorum humiliâssem.*

CA-

CAPUT III.

REvertere, Israël, ad Dominum DEUM tuum, quia lapsa es in iniquitate tua, accipite vobiscum verba. Interpretatio Radak: *Non peto à vobis argentum, aut aurum, nec holocausta; sed verba bona, ut eis confiteamini peccata vestra.* Posteà addit Prophetes: *Sanabo vos, cùm conversi fueritis.* Sciendum autem est, eum loqui de Beneficiis tempore Messiæ. Ecce quomodo conditione appenderit vaticinium. Sed conditione quoque illud finiisse sequentia indicant verba: *Rectæ sunt viæ Domini, justi quidem ambulabunt in eis, & prævaricatores offendent in eis.* Rectæ viæ Domini; expletô enim tempore Messiæ, misit eum, ut tolleret ab eis jugum iniquitatum. Rectum siquidem dicimus, stare promissis in tempore. Sed justi, pœnitentesque ambulabunt in hisce viis, quia reapse consequentur promissiones; impii autem cadent spe suâ.

Alia est pœnitentia unius, alia cœtûs, alia totius populi. Pœnitentia unius, adfert bonum uni singulari, quod plerumque est magis spirituale, quia pleræque promissiones corporales, factæ sunt pluralitati Gentis. Ex quo sequitur, florem populi non venturum populo, nisi cum pœnitentia populi; sequitur etiam temporalem populi Judaici prosperitatem nec esse terminum, nec Signum adventûs Messiæ; cùm absque pœnitentia illam non sint obtenturi, sive Messias venerit, sive non; prout in Genesi magna scriptum est: *Fugit Jacob in agrum Aram.* Dixit Propheta Israëlitis: Paradigma Jacobi estis vos: Jacob antequam duceret uxorem, servituti addictus fuit, & postquam duxit, nihilominus servus mansit. Vos, antequam veniat Redemptor, servitute opprimemini, & postquam venerit, nihilominus servietis. Nec valet hoc de primo Redemptore Mose accipere; nam sicut primus, sic secundus. His ità explicatis, & attentô, quod in capitulis R. Eliezer dicitur: *Non agent Israëlitæ pœnitentiam, donec Elias veniat*, h. e. in extremis diebus, antequam veniat dies Domini Magnus: & revertentur, & quærent Dominum

DEUM suum ; vides nihil obstare, quominus omnes effluxerint termini Messiæ, quamvis Judæi adhuc gemant in captivitate. Sequitur : *Et timebunt ad Dominum, & ad beneficia ejus anhelabunt in extremitate temporum.* Targum Jonathanis: Et obedient Messiæ Filio David. Quid Doctrinæ ex hac Scriptura ? Quærent Davidem, nempe quem spreverunt. Obedient Messiæ, quem pariter spreverunt. Davidem in diebus Saul, & Rechoboam : Messiam, quis scit an non in diebus JESU ? Res est per se valde digna attentione. Videamus.

CAPUT IV.

AC initio quidem valde mihi mirabilis videtur Doctrina Talmudicorum suprà attacta, dicentium : omnes terminos jam elapsos esse ; cùm evidenter habeatur ex scriptura, supereſſe adhuc terminos, ad hodiernam diem nondum elapsos ; ut sunt : *Animæ in corpore.* Nam textus ille : *Spiritus de coram-me avolabit, & animas ego feci.* Isa. 27. à Jonathane sic intelligitur : *Spiritus mortuorum ego resuscitabo, & animas ego feci.* Huic scripturæ præmittitur alia, in qua dicitur : DEUM non semper iras, & minas spiraturum ; quasi sic diceret DEUS : usque hodie vos peccatis ; ego irascor, etiam in ipsa captivitate vestra ; sed non erit hoc semper, non erit ; nam priùs quàm vivificem mortuos, veniet Sioni Redemptor, & iis, qui egerint pœnitentiam in Jacob. *Hoc est pactum meum cum ipsis*, inquit Dominus. *Aquæ Noë est mihi hoc ; sicut enim juravi me non reducturum iterùm aquas, sic non semper Judæis me iratum futurum appromitto.* Adhuc ergo erit tempus, cùm liberabuntur, & non ampliùs in servitutem redigentur in æternum, diceturque : completa est iniquitas, & iniquitatem sequens pœna tua, o ! Filia Sion. Hoc autem tunc erit, cùm numerus animarum, quas DEUS ad æternam vitam præordinavit, & creare constituit, fuerit completus, atque exhaustus.

Alter

Alter terminorum, qui nondum elapsi sunt: est bellum Gog, & Mogog; nondum quippe tale aliquid vidimus, quale prædixit Ezechiel, nec talem belli finem ab orbe condito alicubi legimus.

Tertius est: *In Nubibus Cœli.* Sive per nubes accipias Angelos cum Gaone, sive nubes simpliciter; quia neutrô modô venit aliquis legatus adhuc ad Judæos.

Quartus est: Elias. *Ecce ego mitto vobis Eliam, & reddet cor Patrum, Filiis.*

Quintus: Scissio montis olivarum, & reliqua prodigia in fine Zachariæ designata.

Sextus: Lux solis septies major, luce septem dierum. Et de his terminis dixit R. Jonathan: Rumpantur, qui terminos supputant. Videreturque hinc, non esse adventui Messiæ præfixos terminos, à nobis computandos; cùm DEUS eos occultos velit, juxta illud: *Notum fac mihi, Domine, finem meum.*

Juxta opinionem ergo meam, opùs est, dicta Magistrorum adaptare duobus adventibus Redemptoris. Primo adventui terminos primi capitis: secundo, terminos hujus. Et hoc sibi vult famosum illorum diverbium: Si fuerint digni, veniet eis in nubibus: sin; veniet in Asino. h. e. Messias veniet, sive digni, sive indigni sint; sed nequit eâdem vice venire in nubibus simul & asino. Venit ergo tempore jam exactô, & quidem cùm non venerit in nubibus, venisse in Asino certum est. Et ideò fuerunt indigni: nec honoraverunt venientem, nec meriti sunt promissiones accipere. At verò in futurum redibunt ad Regem suum, & implebuntur omnes Prophetiæ in hoc capite adductæ, & quidquid nondum impletum videmus; quamvis nemo sciat, quô seu modô, seu tempore hæc sint implenda.

Jam quoque Jesaias de hac hora vaticinatus est cùm dixit c. 6. *Audite diligenter, & non intelligite: aspicite curiosè, & nihil videte. Aggrava cor populi hujus. Et dixi: Quamdiu Domine? Et dixit: Donec vastentur urbes, & fiant absque incolis.* Consulamus Domum Eliæ, ibi quædam est traditio, quæ sic sonat. De quibus annis locutus est hoc Propheta? & in quod tem-

tempus prædixit eis consolationes istas, & beneficia? Neque tamen pœnitentiam egerunt. A destructione templi ultimi, usque nunc; Respondent Eliæ Discipuli. Ergo nunc audiunt, & non credunt: aspiciunt, & non vident. Promittitur tamen in futurum adhuc sanitas revertentibus: idque hoc nostrô tempore, post urbes vastatas, ex quibus expulsi sunt. Hinc est, quòd vocentur *Semen sanctum*, *erigendum* aliquando sinè controversia. Noli autem suspicari hanc meam opinionem probè confictam, tantùm verbotenus Magistris consentire. Nam clarissima veritas apud illos est; Redemptorem secundum, primo sc. Mosi similem futurum. Clarum item: Mosem bis venisse. Semel occidendo Ægyptium, & sic inchoando liberationem populi; iterumque se subduxisse, & secundò in brachio forti adfuisse. Idem prorsùs dicunt de Messia Doctores: *Revelabitur*, *& absondetur*, *& iterùm revelabitur*. Pesikta Major. Occidit adversarium nostrum Messias, & exspectat pœnitentiam Israël; ut reveletur eis denuò. Et sanè, nisi duo ponantur adventus, non video, quomodo possit tollere nostras iniquitates, & pœnas portare in corpore suo, quæ iniquitatibus debentur; eodemque tempore pœnarum expers in pompa apparere? Quomodo ipse potest esse populi sui gloria, & splendorem Judaïcæ Gentis renovare; si in doloribus tantùm vitam consumpturus est, nec amplius venturus in gloria, & splendore?

Cœterùm, quòd Gens hæc, nostrâ ætate contabescat, impœnitentia in causa est. Nam quamvis unus convertatur aut alter, hoc animæ quidem prodest, sed populi renovatio ab universali, ut diximus, dependet conversione; quam tantùm abest ut ostendant, ut insuper communi voce, sicut olim Mosen, sic nunc Messiam se noscere dissimulent.

CAPUT V.

QUis det mihi verba instar roris, & pluviæ benignæ instar, fluere documenta, quis det? Ut ostendam vobis Redemptorem vestrum. Date gloriam DEO. Fuitne aliquan-

quando homo, qui majori, & numerosiori hominum parti, visus est esse Messias ille decantatissimus, quàm JESUS NAZARENUS? Cujus adhuc hodie post tot sæcula fides stat. Sola tamdiu propagata de eo fama admonere nos debet, ut sedulò gesta ejus examinemus, & cum vaticiniis conferamus. Antequam verò quidquam de hoc adferam, conabor evincere Evangeliorum veritatem, & efficaciter demonstrare, iis à sapiente viro non posse denegari certitudinem, inter morales saltem, maximam.

Demonstratio I. Ex parte Scribentium. Evangelistæ fuerunt homines parùm astuti, & in negotiis politicis exiguè versati; ergò fuerunt veraces: aliàs non scripsissent etiam ea, quæ ipsis in opprobrium & dedecus cedunt. Aut si scripsissent ad captandum inde aliquod ingens commodum, necesse fuisset, vaferrimos eos, & probè Machiavellicos (ut loquimur) fuisse homines.

Demonstratio II. Ex parte rerum scriptarum. Ab ipsis Evangelii incunabulis, nullus adversariorum Patrum vestrorum, objecerunt Evangelistis, quòd scripserint miraculum aliquod non factum; sed hoc tantùm volebant, ut dicerent, præstigiis, non virtute divinâ, factum.

Demonstratio III. Ex perhibito testimonio. Patet ex libro Zemach David, Discipulos Christi fuisse usque ad mortem constantes in verbis suis; & si dixissent: *Mentiti sumus*, non solùm liberandos, sed maximis afficiendos fuisse honoribus. Si ergo credis, aliquem olim fuisse Alexandrum, qui orbem impleverit victoriis; quamvis, qui hæc scripsit, Curtius, morte scripta sua non confirmârit; quid ad scripta dices Evangelica? Si in judicio politico tertia quæstio reum morte eximit, & Ejus statur verbis; cur tanta hoc non impetrent Tormenta Apostolorum? Si quis autem eò processerit audaciæ, ut extitisse unquam Evangelium aliquod neget; is & Susan, urbem non fuisse, & Babylonem, per me licet, fuisse figmentum dicat. Hæc Evangelio moralem adstruunt certitudinem, etsi majore gaudeat; sed de ea loqui nihil est opùs, cùm ex ipso Auctore Ikarim. trac. 1. c. 17. constet,

certitudinem historicam diu admissam, in moralibus sufficere ad hoc, ut principii locò in demonstratione assumi possit.

Illud verò, quod nonnulli adferunt, magicis nempe artibus JESUM adjutum fuisse; non video qualiter possit sustineri. Nam operâ Dæmonis qui usus fuerit? qui inspectante populo Dæmones fugavit, potentiam eorum confregit, & se ab illo cruciari, ut faterentur, effecit; cujus Discipuli jusserunt libros comburi Magicos, in cujus lege cremantur Necromantæ. Quid pejùs olim affecit Gentiles? quàm harum artium per orbem exstirpatio, de qua contra Christianos in suismet libris graviter contendunt. Quomodo autem etiam arte suâ effecit, ut in Betlehem, & ex Maria nasceretur? num magus fuit, antequam fuisset homo? Quid quòd Ejus agendi modus, & vivendi, planè cum modo magorum non conveniebat. Ideò dixêre nonnulli, eum virtute nominis Divini, *Schem-hamphoraſch* aliàs dicti, patrâsse miracula; sed horum assertio, nescio an omnium non sit miserrima. Inprimis enim disertè legimus in Talmude, Discipulorum JESU quendam ex pago Secania, filium R. Josi sanâsse, invocato nomine Magistri sui. Adverte hunc Discipulum non audiisse aliud nomen à Magistro sanandi gratiâ solitum adhiberi. Et demus aliud esse nomen: cui illud usui esse potuisset JESU Nazareno, qui proprio nomine morbos depellere, aliaque mira patrare poterat? Quod magis eluescit ex continuo Discipulorum ejus usu, quorum nullus legitur aliud aliquando nomen invocâsse. Deinde cùm pleraque de Schemhamphoraſch, quæ circumferuntur evolverem, reperi nihil solidi in narratiunculis de illo compositis latere. Nam quid canes illi ænei sibi volunt, qui latratu suo impedire debent recordationem auditi vel lecti Nominis? Nunquid & Pontificem allatrabant, qui eò nomine debebat benedicere populo? Cur ergo Pontifex mira non patravit ea, quæ jactant patrari posse per Schemhamphoraſch? Sciendum etiam hoc locò, non esse ullum in orbe nomen, cujus literæ vim habeant mira efficiendi. Sed DEUS exaudit preces Justi, justus autem invocat nomen DEI, & miraculum perficitur. Nec enim concipi

cipi potest, quô pactô literæ tantam in se virtutem possint continere, cùm sint signa mortua, omniqúe ex se virtute destituta; ut lapis videndi virtute. Quotiescunque fit miraculum, invocantis meritô, DEIque virtute fit. Invocatio quippe impii sinè efficacia est, juxta Psalmistam. *Impio autem dixit DEUS: Cur tu enarras cærimonias meas, & sumis pactum meum ad os tuum?* Targum: Loqueris justa mea, & leges meas in nomine meo. Et Salomon dixit: *Procul abest Dominus ab impiis, & orationem justorum exaudiet.* Ex quibus verbis sequeretur, JESUM fuisse justum perfectum, qui invocans nomen, ut ipsi volunt, hamphoraſch, ad patranda ingentia inauditaque prodigia, meruerit exaudiri; quandoquidem nomini nulla inest vis naturalis, juxta Rambamum in libro More Chelek 1. perek 62. Sed solùm vis moralis significandi. Nunc tandem aggrediamur Examen operum JESU, ut videamus an ille fuerit Messias. Et incipiamus à nativitate illius.

CAPUT VI.

Matthæi cap. 1.

GEneratio JESU sic fuit: *Postquam Mater ejus Maria desponsata fuisset Josepho, antequam is intraret ad eam, inventa est concepisse de Spiritu Sancto. Joseph autem vir ejus, erat vir justus, neque voluit eam tradere morti, aut prodere; sed solùm fuit in corde ejus, ut illam desereret clam. Dum verò hæc cogitaret, Angelus Domini apparuit ei in somno, & dixit: Joseph fili David, nè timeas accipere Mariam uxorem tuam; nam quod nascetur ex ea, de Spiritu Sancto est, & ex Spiritu Sancto concepit; & Ecce illa pariet filium, & vocabis nomen ejus JESUM, quia ipse liberabit populum suum à peccatis eorum.*

Prophetiæ.

I. *Ecce Virgo concipiet & pariet filium.* Virgo propriè & præcisè loquendo, sinè concubitu viri, & semine humano concipiet. Scio equidem, hujus sectionis materiam pertinere

ad Achazum, qui cùm timeret, nè duo Reges ibi memorati caperent Jerosolymas, accepit à DEO signum non capiendarum. Hoc porrò signum erat: Virgo, quæ nondum apta est conceptui, nihilominus concipiens, ut inquit Radak. Et loquitur Vates de aliqua Virgine immatura, tunc nota, cùm adjicit: *He* demonstrativum. Et non est certum, quæ fuerit; an Prophetissa, an Uxor Achazi, an aliqua alia; hoc solùm est certum; conceptum illum mirô modô contingere debuisse, non modô naturæ usitatô. Idcirco dixit Achaz: *Non petam, & non tentabo Dominum*; quia Signum illud erat grande, & simile descensui Eliæ, aut resuscitationi mortuorum, ut loquitur Jalkut. Quamvis ergo dem, hanc sectionem non loqui primâ fronte de Maria, de ea tamen explicari illam posse, habeo ex Pesikta, ubi dicitur: omnes aliorum Prophetias esse simplices, Esaiæ duplices, & concernere temporum tam suorum, quàm nostrorum consolationes. Estque clarum Exemplum in Midbar Raba: Ezechias seipsô agnovit verum DEUM, quia dicitur: *Butyrum & mel, &c.* Etiam Messias, per eundem versum. Ecce unus versus de Ezechia & Messia pariter dictus. Ad hunc modum: *Ecce VIRGO concipiet.* VIRGO tempore Jesaiæ, & Mater Messiæ, intelligi potest. Aut negent ea, quæ ex Pesikta, & Midbar Raba attulimus. Quòd si Virgo Jesaiæ tempore concepit quidem absque concubitu, ut Radak innuit; Mater Messiæ, absque concubitu, & absque semine. Siquidem Messiæ conceptio longè superat omnium hominum conceptionem. Sic enim ait R. Samuel. *Eva, jam dum Sethum conciperet, prospexit aliquod semen, aliunde veniens.* Quis est semen illud? Messias. Quid est hoc aliunde? Non ex vase viri. Seth, & reliqui sunt semen, quod oritur ex loco generationis humanæ: Messias est semen, quod oritur aliunde, & nihil habet commune cum aliis. II. *Et ascendet sicut virgultum coram ipso & sicut radix ex terra sitienti.* Certum est, hanc totam sectionem dictam esse de Messia, ex Targum, & Tanchuma. Et sensus est: Sicut mirum foret, si ascenderet virgultum ex terra exsucca, sic mirum erit, cùm ascendet Messias ex Virgine, sinè humore seminis virilis. Unde Moses

Moſes Darſchan inquit : *Redemptor, quem ſuſcitabo ex vobis, non habebit Patrem.* Bereſchit Raba c. 37. III. *Et veniet nobis ut pluvia, & ſicut imber ſerotinus deciduus in terram.* Oſeæ 8. Et ſcriptum eſt : *Pluviam voluntariam deplues DEUS.* Si pluvia eſt, indiget munificâ voluntate ; ſi ros, indiget DEO. Quòd Meſſias ſit ros, habes in Pſalmo : *Ex utero tibi ros.* 110. Indiget ergo DEO, ut nobis veniat ; h. e. Nativitas ejus non poteſt fieri operâ hominum. Aliter : Sicut pluvia venit abſque cooperatione mortalium, ſic veniet nobis Redemptor. Vide Kimchium hôc locô ; qui in Hebræo pulcherrimè exhibet Paronomaſiam, in vocibus : *Voluntariam*, & *DEUS.* Colliges, JESUM eſſe Meſſiam ex Nativitate ; cùm de nullo alio legamus, ſeminis expertem conceptionem, quam in Meſſia Prophetæ requirunt, & ſuadet ratio : Eô ipsô enim quòd omnes homines paulò ſint Angelis inferiores, Meſſias autem & ſuperior, ut in decurſu probabitur, decuit modum Generationis Meſſiæ, excedere omnem modum humanum, quô quis communiter, & operâ naturali generari poteſt.

CAPUT VII.

Matthæi cap. 2.

ET poſtquam natus eſt JESUS in Bethlehem in Civitate Juda in diebus Herodis Regis. Ecce Reges Aſtrologi venerunt ab Oriente Jeroſolymam, dicentes : Ubi eſt, qui natus eſt Rex ſuper Judæos ? quia vidimus Stellam ejus in Oriente, & venimus ad adorandum eum.

Prophetiæ.

I. *Et tu Bethlehem Ephratæa, quæ exigua es, ut ſis inter millia Judeæ, vel inter præcipuas Urbes Judeæ. Ex te egredietur mihi ille, qui erit Dominator in Iſraël.* Targum Jonathanis : Meſſias. II. *Sic inquit Dominus DEUS Sabaoth : Ecce ego commoveo Cœlum & Terram, &c.* Aggæi 2. Commotio hæc eſt Metaphorica, propter gloriæ copiam, & bonorum affluentiam, quæ fuit in diebus Aſſamanæorum, ac Herodis. Poſteà ſubjungit : *Adhuc unum modicum*, h. e. adhuc unam gratiam

faciam vobis, præter has, quas nunc vobis exhibeo. Habetis nunc persecutores in ædificatione Templi, sed illô tempore, de quo mihi nunc anticipatus sermo, omnes Gentes honorabunt Domum hanc muneribus aureis, argenteisque. Et quidem in Libro Gorionidis scriptum est, etiam literaliter tempore Herodis contigisse ingentem terræmotum. Vide Kimchium. Sive ergo Metaphoricam, sive veram ac realem accipias commotionem, perinde est; dummodo inferas, hæc ad Herodis tempora spectare, unà cum textu sequenti: *Et dabo PACEM* in loco hoc. R. Josi dixit: Pax est Messias. Juxta illud: *Pater, Æternitas, Princeps, Pax.* (Sic enim hæc legi possunt à Medraschicis.) Igitur in diebus Herodis venit Messias. Sic omnia præmissa intellexit celebris R. Akiba. Quanquam Isacius Salomon non velit approbare hanc expositionem; non tamen adfert quidquam, quô probet tempus Herodis non fuisse tempus Messiæ; sed tantùm ait: illum tunc non venisse, quod etiam suprà de aliis terminis dici audivimus à nonnullis. Sed sapientiùs illi sentiunt, qui venisse quidem, sed agnitum non fuisse docent. Sicut Psalmus dicit: *Lapidem reprobaverunt ædificantes.* Lapis est Messias, ex ipso Isacio in Michæam 5. Et Targum exponit versiculum hunc de Filio Isai: *Sicut spreverunt Filium Isai Davidem, sic Filium Davidis JESUM.* III. *Reges Saba, & Seba, munus offerent.* Totus Psalmus est de Salomone, vel Messia, juxta Abrahamum Esræ. Et Isaias dixit: *Reges timebunt, & surgent Principes, & adorabunt.* In Pesikta, hæc verba: *Dedi te in lucem Gentium, ut sis Salus mea usque ad extremum terræ*, sic proponuntur, quasi sint verba DEI ad Messiam; quòd nempe in diebus ejus Gentes sint illuminandæ, sintque verum DEUM cognoscituræ. De hac Prophetia videatur Zohar col. 279. Quid ergo tibi videtur de JESU Nazareno, cui omnia, quæ dicuntur de Messia, tam bene congruunt? Sed ad majora properemus.

CA-

CAPUT VIII.

Matthæi cap. 2.

Posteaquam discesserunt Reges in locum suum, Angelus Domini apparuit Joseph in somno, dicens: Surge accipe Puerum, & Matrem ejus, & fuge tibi in Ægyptum, & eris ibi, & ibi manebis; donec revertar ad te, quia Herodes quærit occidere Puerum. Et expergefactus est, & fecit, sicut præcepit ei Angelus.

Prophetiæ.

I. Præfecto Neginoth Psalmus David: *Cùm invocarem, exaudivit me DEUS justitiæ meæ, in angustia, præstitit mihi latitudinem, &c.* Totus Psalmus est de Davide, sicutì & præcedens, quem fecit; dum fugeret à facie Absalon Filii sui. Et iterum totus est de Filio David, cùm fugeret à facie Herodis, filiisque populi sui. Sed unde habemus, Messiam debere fugere? Audi, bonum Nuntium nuntiabo tibi. In Tractatu Pesachim c. Vesperæ Pesachim. Sic legimus: R. Eliezeris verba sunt: Omnes Psalmos de se dixit David. R. Jehossua dicit: De tota communitate dixit eos. Sapientes dixerunt: Quosdam de se, quosdam de communitate: de se in singulari, de communitate in plurali. Sed qui Psalmi in titulo præfixum habent: *Lamnazeach*, vel *Neginoth*, sunt vaticinia de rebus, Messiæ tempore futuris, qui demùm inscribuntur *Maschil*, sunt dicti per interpretes. Ex quo vides Psalmum: *Cùm invocarem*, pertinere ad Messiam. Loquitur verò in singulari, quia præter Filium Isai, alium adhuc Davidem habent Israëlitæ, qui etiam ab inimicorum crudelitate se subduxit; Messias videlicet. Confirmatur ex Medrascha: *Nigun* est vox Prophetica; atqui loquens de fuga sua, utitur David voce *Nigun*; ergo Prophetat de Filio Filii sui. II. *Ex Ægypto vocavi Filium meum.* Non loquitur in hoc versu Propheta, tantummodò de Israëlis Populo, sed etiam de Messia, quia ipse est Filius DEI Benedicti. Neque hoc est adeò inusitatum, totus siquidem Psalmus: *Qui Regis Israël*, etsi de Populo Israëli-

tico

tico loquatur, nihilominus de Messia à Magistris accipitur; quodque maximè facit ad propositum, ubi de Populo Israëlitico dicitur: *Vitem de Ægypto transtulisti*, dicunt: Vitis hæc est Messias. Ergo sicut ibi, sic hic. III. *Quis sprevit diem parvitatis?* Zach. 4. Diem parvitatis non ineptè accipio diem primæ infantiæ. Quis hunc diem sprevit? Herodes impius; quando voluit JESUM occidere in infantia. Video quid dicturus sis; nempe textum spectare ad Zorobabelem & Sanbelat. Verum dicis. At in Sanhedrin c. Æchad dine, memini me legere, unum textum sortiri plurimos sensus, & quamlibet Scripturam 70. vicibus inverti posse. Hunc autem sensum, quem attuli, non ego excogitavi, sed in Tanchuma invenies eum, ubi expressè lego, Messiam debere sperni, & abjici in diebus parvitatis suæ, & post contemptûs toleratas calamitates, rursum elevari.

CAPUT IX.

Matthæi 3.

IN diebus illis prædicavit Joannes Baptista in deserto Judeæ, dicens: Agite pœnitentiam in vita, proximum est Regnum Cœlorum, & jam appropinquat.

Prophetiæ.

I. *Vox clamantis in deserto parate viam Domini, Rectas facite in solitudine semitas DEI nostri.* Vox clamantis, accipe simpliciter. Parate viam, &c. Metaphoricè. Raschius per clamantem, intelligit Spiritum Sanctum. Aben Esra hæc ità accipit, quasi sint verba exhortatoria præfectorum Persicorum, qui vias reduci Israëli applanari curaverunt, nè fatigarentur in itinere: sed inconvenienter. Nam aspera illa & sinuosa viarum, quorum hic vates meminit, sunt referenda ad asperitatem & sinuositatem pœnitentiæ, quâ ad DEUM itur, & reditur ex peccatis. Sicut idem Vates c. 57. admonet singulos: *Parate viam, auferte scandalum ex via.* Rasche: Amovete concupiscentiam malam à via vestra, removete cogitationes im-

impias. Et Jonathan : Parate cor Populi ad viam rectam. Cor non, pedes. Ut perveniatis ad terram sinè fatigatione. Est terra, quæ terra Viventium dicitur, & Sæculum futurum, & Mons Sanctus. Sæculum verò præsens vocatur scandalum; & remotio scandali pœnitentia consuevit appellari ; juxta Kimchium. Cui accedit Scriptura : *Sion in Judicio redimetur, & reduces Sionis in Justitia.* Isa. 1. Atque ità vides sensum Prophetiæ, esse eundem quem Evangelii. II. *Quàm speciosi sunt super montes pedes annuntiantis, audire facientis pacem, annuntiantis bonum ; audire facientis salutem ; dicentis ad Sionem : Regnavit DEUS tuus.* Targum : Revelatum est Regnum DEI tui. Hæc sunt ipsissima Joannis verba. *Annuntiantis bonum,* h. e. pœnitentiam : spera in DEO, & fac *bonum.* Quære hic Rabbinorum commentationes, & invenies quod dico. III. *Primus Sionis* (Nuntius) *inquit : Ecce, ecce ea. Jerosolymæ verò Evangelistam dabo.* Isa. 41. Targum : Prima verba consolationis, quæ locuti sunt ab antiquo Prophetæ : Ecce ea, ecce veniunt vobis, & contingunt omnia, incipiendo ab Evangelista, qui est initium consolationum venturarum. Quis est autem ille ? Joannes, ad quem egrediebantur omnes Jerosolymis, & ex tota Judæa, tractuque Jordanis, & ipse ostendebat digito : Ecce Messiam, inquiens : Ecce ea, quæ promiserunt Prophetæ.

CAPUT X.

Matthæi 3.

TUnc venit JESUS ex Galilæa super Jordanem, ad Joannem, ut baptizaretur ab eo, & dixit ei Joannes : Ego opus habeo baptizari à te, & tu venis ad me ? Et respondit JESUS, & dixit ei : Desine nunc ; nam in hoc decet nos implere omnem justitiam. Reliquit eum, & baptizavit eum.

Prophetiæ.

I. *Et haurietis aquas cum gaudio, ex fontibus Salutis.* Isa. 12. Non solùm aquas Metaphoricas, Legem & Doctrinam ; sed

etiam aquas simpliciter; quia sicut Redemptor primus, sic secundus. Quid fecit Redemptor primus? Congregavit Populum ad fontem, & DEUS dedit eis aquas. *Tunc cecinit Israël canticum hoc*: &c. Etiam Redemptorem secundum oportuit dare aquas, propter id quod sequitur: *Cantate Domino, &c.* II. *Per omnes planities Judeæ current aquæ, & fons ex Domo Domini exibit, & irrigabit torrentem Sittim* Joël 3. R. Saadias Gaon sic explicat: Sittim est Jordan, est enim propinquus loco, qui vocatur Sittim. Fons ex Domo Domini exibat tempore Templi secundi, sicutì legimus in Tractatu Midoth, & in Radakio, & ingrediebantur aquæ in Cedronem, inde in Jordanem, inde in Mare, prout etiam habes in Ezechiele; aitque Kimchius, reduces Babylone Judæos, feciſſe ſtructuram Templi ad normam Ezechielicæ visionis, exceptis quibusdam rebus, quæ superabant ipsorum vires; sed de fonte in Domo Domini, & canalibus ad Jordanem usque porrectis, non est dubium, quin eos fecerint &c. Deinde in aquis Jordanis Baptizatô Messiâ, quis neget aquas accepisse aliquam virtutem ex contactu Messiæ, quam anteà non habebant? Quæstio solùm est, an alicubi legamus, Messiam debuisse baptizari aquis. Vinô sanè lavandum fuisse ait Scriptura: *Lavans in vino vestimentum suum, & in sanguine uvæ stolam suam.* Vestimentum & stolam in vino, sed corpus in aquis. Dicitur enim communi verbo apud Judæos, Messiam Filium David à Sapientibus fuisse interrogatum, dum eum viderent ex Synagogis ad Scholam, ex Schola ire ad Synagogam, quid faceret? Respondisse: *Lavo.* Haud certè alibi, quàm in Jordane, quem irrigandum dicit Vates; non quòd aruerit aliquando, sed quod aquæ ante Baptismum Messiæ, non habuerint specialem virtutem, animæ maculas eluendi; & hoc intuitu aridus dici potuerit Jordan. De Baptismo, & criminum ablutione, pulchram leges traditionem in Zohar col. 225. III. *Ipse est sicut ignis purgans, & Borith lavans* &c. Malach. 3. Idipsum de JESU dixit Joannes: *Ego baptizo vos aquâ, ipse autem etiam baptizabit vos in igne Spiritûs Sancti.* Unde & scriptum est: *Dentes tui albi sunt, sicut Grex recenter tonsarum*

ram ovium, dum ascendunt ex lavacro. Targum: Quàm mundi sunt Sacerdotes tui, & Levitæ tui! sicut Grex, &c. Sed unde tam mundi? Messias sicut ignis purgans secundùm Malachiam, & herba Borith lavans, mundabit Filios Levi, & purgabit eos, sicut aurum & argentum, & offerent Domino oblationem in Justitia. Et hoc vocamus Baptismum Messiæ. Sed pulchra hîc succurrit observatio ex Jelameddenu. *Iste est Lex Holocausti, & Vespertini Sacrificii.* In Hebræo: *Lo.* Est articulus Genitivi vel Dativi nota. Inverterunt hoc paulò aliter Doctores, ut sit *Lo* per Aleph, quod significat *Non.* Et sic legunt: Hæc est Lex: Non Holocaustum, non Vespertinum Sacrificium; sed Oblatio in Justitia, ut alter alteri benefaciatis; id enim mihi placet magis, quàm omnia Holocausta quæ obtulit Salomon coram me. Quàm aptè omnia concinunt: Levitæ sunt mundandi, ut offerant DEO, non Holocausta, sed Justitiam. JESUS in sua Lege, non petit Holocausta, sed quos baptizat Spiritu Sanctô, iis dat Justitiam, ut ferant Justitiæ fructus.

CAPUT XI.

Matthæi 3.

ET postquam baptizatus est JESUS, & ascendit ex aquis, & ecce aperti sunt Cœli super eum, & ecce Spiritus DEI descendit ex Cœlis in specie columbæ, & venit super eum. Et ecce ex Cœlis vox, dicens: Iste est Filius meus dilectus, in quo complacuit sibi anima mea.

Prophetiæ.

I. *Et Spiritus Domini ferebatur super aquas.* R. Jacob qui scripsit Turim, hanc facit ex verbis adductis Gemmatriam: Iste est Spiritus Regis Messiæ. Sicut scriptum est: *Et requiescet super eum Spiritus Domini.* Sed quomodo ostendis Spiritum Domini venire debuisse super aquas, & in specie columbæ? Ex hoc, quòd pœnitentiâ promerente datur Spiritus Sanctus; pœnitentia autem vocatur aqua in pluribus locis à

Magistris ipsis. In columbæ autem specie venit, quia ipsum vocabulum: *ferebatur*, explicabat Raschе de illo motu, quô columba super nidum expansis se alis librat. II. *Vox Domini super aquas.* Septem voces attulit David, primam autem super aquas. Nec dubita, quin de diebus Messiæ hunc Psalmum scripserit; nam hoc clarè docetur in Jalkut. Psalmus sic incipit: *Afferte Domino filios arietum.* Explicatio Jalkutica: Hoc est, quod alia Scriptura dicit: *Salvabo Gregem meum, & non erit amplius in opprobrium* Quid autem faciet? David servus meus pascet eum; secundùm illud: *Et suscitabo super eos Pastorem.* R. Kimchi: Messiam. Considera jam de voce hunc Psalmum loqui super aquas resonante, tempore Messiæ. III. *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu.* Et Scriptura alia in fine hujus Psalmi inquit: *Osculamini Filium nè irascatur, & pereatis in via.* Zohar dicit: Osculamini Filium DEI Benedicti. Theologi Nazareni explicant eodem modô hunc Psalmi locum, de Filio DEI Messia; sed differunt à Doctoribus Israël modernis in hoc, quòd dicant; eum esse DEUM, DEI Filium, nec tamen duos DEOS admittant. Et hoc est Mysterium grande inter Nazarenos, quis det ut intelligamus illud. Quia verò profundum est, sicut profunditates abyssi, super quam meræ sunt tenebræ, tacebo nunc de eo, sperans oriturum in corde meo solem aliâ vice, ut possim de re tam ardua loqui, sicut locuti sunt viri magni, & potentes.

CAPUT XII.

Matthæi 4.

Tunc ductus est JESUS in Desertum Judeæ per Spiritum, ut tentaretur à Sathane, & cùm jejunâsset 40. diebus, & 40. noctibus, posteà esuriit. Et venit Tentator, &c. Tunc reliquit eum Sathan, & ecce Angeli accesserunt, & ministrârunt ei.

Prophetiæ.

I. *Et ipse infirmatus est propter iniquitates nostras, percussus propter peccata nostra, disciplina pacis nostræ super eum.* In Agada Samue-

Samuelis exponitur hic versus de Messia ; juxta verba Rabinorum : R. Huna, nomine R. Acha ait : In tres divisæ partes sunt pœnæ, &c. ùt supra. Jejunium autem computatur inter morbos, & ægritudines, juxta illud : *Cor meum infirmatum est in me, lapsa sunt genua mea præ jejunio.* Adde : Sicut Redemptor primus, sic secundus. II. *Non superabit eum inimicus, & filius iniquitatis non humiliabit eum.* Psal. 88. In Pesikta majore sic commentantur Magistri : Dixit Sathan coram DEO Benedicto : *Domine Mundi : Lux illa, quæ abscondita est sub solio gloriæ tuæ, cui asservatur ?* Dixit ei DEUS : *Illi qui te confundet.* Dixit Sathan : *Ostende mihi illum.* Dixit DEUS : *Veni vide eum ; & cùm vidisset, consternatus, cecidit in faciem suam, & clamavit : Næ iste est Messias*, &c. Tanta est Scripturæ veteris, & fragmentorum Synagogæ antiquæ consonantia cum Evangelio, ut ferè ipsa verba reperire possis, quibus usi sunt Evangelistæ. Lege enim Matthæum hoc capite describentem certamen trinum Redemptoris cum Diabolo, & lege hanc traditionem Pesiktæ, videbisque, nè pilum quidem in medio esse. Ego latinè contextum Matthæi referre nolo, satìs enim apud Latinos notus est ; in Hebræo propter Israëlitas, eum expressiùs pono. III. *Adorent eum omnes Angeli.* Psal. 96. Psalmum de Messia dixit David, uti habetur in Commentariis Rasche. Si docent Rabbini, DEUM jussisse Angelos primo homini se se inclinare, quid de Messia dicent ? Si ex Genesi magna constat, homines Angelis quodammodo superiores esse, eò quòd qui custoditur superior sit custodiente, sicut qui portatur, portante : & exemplum promptum, Regum suppeditant aulæ, in quibus custodes minores sunt Rege, quem custodiunt ; Messiam ab Angelis fuisse portatum, adeò mirum non est, ut planè sit necessarium, ad indicandum, quantò illis superior sit, ac excellentior.

CAPUT XIII.

Matthæi cap. 4.

ET ambulavit JEUS circa circùm in tota Galilæa, & docuit in Synagogis, & annunciavit Regnum, & ſanavit omnem morbum, & dolorem in populo, & exivit fama ejus ad omnem populum.

Prophetiæ.

I. *Terra Zabulon, & Terra Nephtali, via Maris, trans Jordanem, Galilæa Gentium, populus ambulantes in tenebris, viderunt lucem magnam.* Edic obſecro quare primi omnium liberari debuerunt Zabulonitæ, & Nephtalitæ juxta Traditionem Magiſtrorum? Non alia ſanè de cauſa, quàm quod prima omnium alleviata ſit illorum Terra, h. e. incolis ſpoliata ſub Tiglathphalaſſar; ut liberatione ſint primi, qui primi fuerunt in captivitate. Hoc optimè obſervavit JESUS, qui libertatem prædicavit primò omnium in Capharnaum, quæ eſt Civitas ad Mare in terminis Zabulon, & Nephtali; deinde circumivit totam Galilæam; quia poſt Zabulonitas aggravati ſunt accolæ Maris trans Jordanem, ſeu Galilæa Gentium ſub Sennacherib. Et hæc Doctrina deſumpta eſt ex Simeone Jochai in l. Zohar. II. *Gaudeat deſertum, & arida Terra, & exultet invia, & floreat inſtar Roſæ.* Tota ſectio Iſa. 35. Metaphoricè accipienda eſt, ſicut & id quod ſcriptum eſt: *Dicite afflictis: confortamini.* Targum: Dicite afflictis, & debilibus ad Legis exequenda Præcepta: confortamini. Pergit in ſua Metaphora Chaldæus. *Tunc aperientur oculi cæcorum.* Tunc, ait, aperientur oculi Domûs Iſraël, qui non vident Legem. *In deſerto ſcaturient aquæ*, in deſerto, ubi antea tacebat Lex, incipiet fluere Verbum DEI. Chaldæum imitatur R. Salomon. Florebunt, inquit, ſicut ſi in deſerto ſitiente erumpant aquæ, & irrigent Terram; quia & ipſi ſitiebant Salutem, & tunc accipient illam. *Et erit ibi via, & ſemita.* Salomon: Cæci qui antea nolebant Legem inſpicere, & accipere Prophetas,

phetas, tunc videbunt clarè, quidquid in Lege & Prophetis de Messia scriptum est, & ambulabunt secundùm verba illa: imò & stulti, qui nunquam quidquam didicêre, tunc non errabunt in via Domini. Finis sectionis habet hæc: *Et gaudium sæculi super caput eorum.* Gaudium, quod jam habuêre à sæculis, redibit illis. Quemadmodum enim egressi ex Ægypto gavisi sunt, dum acciperent Legem, ità gaudebunt & nunc, novam ipsis Legem promulgante Messiâ; sicut scriptum est: *Non abscondet se amplius à te Præceptor tuus, sed erunt oculi tui videntes Doctorem tuum, & aures audientes vocem dicentis: Hæc est via, ambulate in ea.* Scio quidem verba hæc à Kimchio non explicari de Messia, sed de Ezechia; is tamen fatetur, quosdam interpretes ea de Messia intellexisse. Et meritò; nam & ipsum Talmud c. Chelek de Messiæ diebus accipit, quæ in sectione: *Heu Filii contumaces*, scripta sunt, in qua sectione etiam sunt allata verba. Quòd si jam singula superiùs enumerata velis examinare in JESU, reperies eum reapse fuisse Doctorem illum magnum, qui non solùm corporis, sed animæ etiam oculos auresque reseravit, prædicando per totam Terram, uti dictum est. III. *Verè morbos nostros ipse portavit, & dolores nostros ipse sustulit.*

CAPUT XIV.

Matthæi 8.

ET ascendit in Navem, & venerunt post eum Discipuli ejus, & ecce procella ingens in Mari. Et Navis tegebatur à fluctibus, ipse autem fuit dormiens. Et accesserunt Discipuli ejus ad eum, & excitaverunt eum, dicentes: Domine salva nos, nè pereamus. Et dixit eis JESUS: Cur timetis? Exigui fide! Tunc surrexit, & præcepit Ventis, & Mari, & facta est tranquillitas magna.

Prophetiæ.

I. *Tu dominaris elationibus Maris, cùm assurgunt fluctus ejus, tu eos mitigas.* Initium hujus Psalmi habet: *Misericordias Domini in æternùm cantabo.* Et finis: *Quod exprobraverunt inimici*

mici tui, quod exprobraverunt extrema Messiæ tui. Ubi noto, liberationem extremam sub Messia, congruere debere primæ sub Mose: videlicet inchoando à Mari. Totus quippe Psalmus, est una oratio, ennarrans antiqua prodigia, & petens ea renovari in extremis diebus à Messia. II. *A vocibus aquarum multarum. Mirabiles confractiones Maris, mirabilis in altis Dominus.* Hic versus cum toto Psalmo pertinet ad tempus Salutis cùm venerit Messias, relinquiturque cuivis liberum, accipere omnia in sensu Metaphorico cum Raschio, vel literali cum R. Aba. III. *Laudate DEUM, quia bonus, quia in sæculum misericordia ejus, dicant liberati Domini, quos liberavit de manu inimici; qui descendunt Mare in Navibus, negotiantur in aquis multis, ipsi viderunt mirabilia Domini in profundo, & dixit, & stetit Spiritus procellæ.* Qui sunt liberati Domini? Nonne Israël à Messia liberati, sic enim vocantur in Isaia: *Redempti Domini revertentur;* per eos verò qui descendunt Mare in Navibus, si Piscatores JESU Discipulos significari velis, non incongruè feceris.

CAPUT XV.

Matthæi 9.

ET ascendit JESUS in Navem, & ivit trans Mare, ad Civitatem suam, & ecce adduxerunt ad eum virum paralyticum, jacentem in lecto, & cùm vidisset JESUS fidem eorum, dixit ad Paralyticum: Confide fili, nam dimissa sunt tibi peccata tua.

Prophetiæ.

I. *In diebus ejus salvabitur Juda, & Israël habitabit confidenter, & hoc est nomen ejus, quo vocabunt eum: Dominus Justitia nostra,* eò quod tunc erit Mundo Justitia, & remissio peccatorum. Targum: Opera nostra habebunt meritum suum, postquam confregerit jugum iniquitatum nostrarum. II. *Dimittam eis iniquitatem eorum, & peccati eorum non recordabor amplius.* Etiam hic versus ad dies Messiæ spectat; sed Nazareni credunt Messiam esse DEUM, qui peccata dimittit, cui positioni

tioni inveni multa concordare in Rabbinorum Scriptis, quæ inferiùs referam suô locô. III. *Et Dominus transtulit in eum iniquitatem omnium nostrûm.* In Messiam, juxta Sententiam R. Josi.

Sectionem Isaiæ, ex qua hæc ultima Prophetia desumpta est, quæque adeò est celebris apud Authores, quidam Rabbinorum exponunt de Populo Israëlitico, dicuntque hæc verba : *Quis credidit auditui nostro, seu famæ ad nos perlatæ ?* esse verba aliorum Populorum admirantium insperatam Israëlis Salutem ; & ità per decursum sectionis, ubi verba sunt singularis numeri, ibi ea applicant Populo Israëlitico, & ubi pluralis numeri, reliquis Populis. Sed hæc expositio est inconveniens ; etsi primâ fronte aliquam verisimilitudinem præseferre videatur. Primò, quòd in Talmude, & Targum, de Messia explicetur id, quod illi de Populo accipiunt, & sic manifestè contra Gemmaram nitantur Rabbini illi. Præterea & secum ipsis pugnant. Nam versum illum : *Propter scelus Populi mei, plaga est ipsis.* (Sic habent Hebræa hodierna) sequentem in modum exponunt : *Propter scelus impiorum, qui sunt in Populo meo, plaga est ipsis*, h. e. Justis Populi mei. Vides, quomodo recedant à prima Regula, de exponendis verbis pluralibus in hac sectione. Iterum : *Non fecit violentiam, neque dolum invenit quis in ore ejus.* H. e. Justi in Populo sic se gesserunt ; & suis benefactis conciliârunt DEO impios, qui erant inter eos. Igitur & ille versus : *Omnes nos sicut oves erravimus*, non tantùm de Gentibus ; sed & de impiis Judæis accipiendus erit. Igitur Israël non tantùm percussus est propter scelera aliena, sed & propter domestica. Igitur in captivitate non ferunt pœnas Gentibus debitas, ut prætendere videntur ; sed suas. Igitur disciplina pacis impiorum, non est super Justos ; quia nullam pacem habent impii, nec spiritualem, nec temporalem ; cùm gravissimâ premantur hodiedum servitute. Omnia ista diligenter observanda sunt, ut ostendamus Authoribus adversis, quàm immeritò in has se tricas conjecerint, ab antiqua expositione recedendo. Quid etiam sibi vult illud ? *Pro impiis*

orabit. Vel impius pro impio Israëlita, quod est absurdum: vel Justus pro justo, quod est absurdiùs: vel justus pro injusto, quod est contra ipsos, qui vocabulum: *Impii*, ad gentes transferunt; & nihilominùs nec ipsi pro gentibus orant, nec orare docent; sed volunt eas bellô Magogicô enormiter, & inauditis modis punitum iri. Ad quid ergo hæc oratio? Dicant ergo potiùs cum Jeremia: *Peccata vestra adduxerunt hæc, & iniquitates vestræ prohibuerunt à vobis bonum.* Nam si DEO obtemperâssent, nunquam profectò eos ejecisset in captivitatem, ut hoc modô Gentibus obveniret Pax, & Benedictio. Quocirca & ego reliqui expositionem hanc falsam, nolens sanare vulnus Populi mei re adeò futili; sicut illi faciunt, & clamant: Pax, pax, & non est pax. Intercessio, & non est intercessio. Tolerantia alienæ iniquitatis, & non est tolerantia. Quare enim dixisset Jeremias? *Completa est iniquitas tua, Filia Sion.* Tua dicit, non Gentium; propter tuam iniquitatem tantô afflicta es tempore, non propter causandum universo Orbi bonum.

CAPUT XVI.

Matthæi 9.

ET cùm abiisset inde JESUS, vidit virum quendam sedentem in Telonio, & nomen ejus Matthæus. *Et dixit ei: Sequere me. Et factum est, dum sederent ad manducandum in domo, ecce multi Prævaricatores, & Peccatores venerunt, & comederunt cum JESU, & cum Discipulis ejus. Et Pharisæi videntes, dixerunt ad Discipulos ejus: Quare Doctor vester comedit cum Peccatoribus? Et respondit dicens: Non est opùs Medicô ad sanandos sanos.*

Prophetiæ.

I. *Nam ego Misericordiam diligo, non Sacrificium.* Quamvis Pharisæi deservirent DEO in Templo tempore JESU; exigua tamen erat inter eos Misericordia. Cùm autem Misericordia, sit fundamentum, & maximè augenda tempore Messiæ; idcircò comedit JESUS cum Peccatoribus, ut eos ad DEUM redu-

reduceret, quod est Misericordiæ apex. Potest etiam verti: *Gratiam diligo*; & tunc maximè curret argumentum. II. *Ego pascam Gregem meum, & ego recubare eos faciam, ait Dominus; perditos quæram, &c.* Hoc accidere debet Messiæ diebus, cùm fuerit Pastor unus, & nomen ejus David. Ac proinde non repellet Peccatores, non separabit se ab illis, quasi Anathemate percussis: proprium enim ejus opus erit, sanare miseros. Ezech. 34. III. *Et erit, cùm locò hujus nominis: NON POPULUS MEUS, vocabunt eos nomine, Filiorum DEI Vivi.* Tempore Messiæ. Ipse namque in medio eorum erit, ut reducat eos in pœnitentia, ut auferat ab ipsis Anathema, ob quod excluſi erant à Populo DEI. Osee 2.

CAPUT XVII.

Matthæi 9.

ET cùm loqueretur hæc verba ad eos, ecce accessit Princeps quidam, & adoravit eum, dicens: Domine, Filia mea jam mortua est; sed veni tu, & pone manum tuam super illam, & vivet. Et surrexit JESUS, & secutus est eum cum Discipulis suis. Et cùm intrâsset JESUS domum, & vidisset tibicines, & Populum, dixit: Recedite, nam non est mortua Puella, at dormit; & ipsi irriserunt eum. Et postquam dimisisset Turbam, intravit ipse, & tenuit eam manu, & dixit: Surge, surge; & surrexit Puella.

Prophetiæ.

I. *Vitam petiit à te, dedisti ei longitudinem dierum in sæculum, & æternum.* Vitam Mundi, ait Targum, petiit à te Rex Messias, & dedisti ei. II. *Nunquid tu reversus vivificabis nos.* Hunc Psalmum de tempore Salutis in diebus Messiæ, exposuit R. Abraham Ezræ Filius. III. *Absorpta est Mors, in æternum.* Quia dedit DEUS angelum mortis in manu Messiæ, ut dominaretur ei pro libitu, sicut habetur in Gemmara Tractatu Pesachim c. 6.

CAPUT XVIII.

Matthæi 10.

ET vocavit duodecim Discipulos suos, & dedit eis imperium super Spiritus immundos, ut expellerent eos, & misit JESUS hos duodecim, & præcepit eis, dicens: &c.

Prophetiæ.

I. *Et Lapides erunt juxta nomina Filiorum Israël duodecim.* Loquitur de Lapidibus in Rationali erigendis. Mysterium porrò horum Lapidum consistit in artificiosa combinatione, inprimis horum nominum: Abraham, Isaac, Jacob. Deinde horum: Cephas, Andreas, Philippus, &c. usque ad Judam. Hoc modo: Cephas, literæ 4. A. & B. ex ABRAHAM 6. Andreas 6. Philippus 6. Bartholomæus 6. (intellige in Hebræo) Jacob 4. & R. H. ex ABRAHAM 6. Joannes 5., & M. ex ABRAHAM 6. Thomas 5., & I. ex ISAAC 6. Matthæus 3., & Z. CH. K. ex ISAAC 6. Jacobus 4. ex JACOB I. & A. 6. Thadæus 6. Simeon 5. & K., ex JACOB 6. Judas 5., & B. ex JACOB 6. Hanc combinationem nominum, ità ut semper sint 6. literæ, supplendo scilicet deficientes ex nominibus Patriarcharum, vidi in Auctore Turim, & huc ad rem meam transtuli. II. *Vocem extulerunt Speculatores tui, voce unanimi cantabunt.* Isa. 52. Vult dicere in diebus Messiæ auditum iri vocem Nuntiorum, qui sunt velutì Speculatores, aut Principes Populi, & annuntiabunt tibi ô! Jerosolyma, venisse jam Regem tuum, quem suismet oculis viderunt. III. *Venient, & narrabunt Justitiam ejus Populo, qui nascetur, quem fecit Dominus.* Vel: *quòd fecerit.* Nonnulli putant hunc Psalmum à Davide dictum esse de Esther Regina; alii verò exponunt eum de Synagoga Israelitica; verùm non est melior expositio, quàm de Messia, quam reperi in Jalkut, & gavisus sum gaudiô sempiternô; quando autem perveniam ad reliquos versus hujus Psalmi in aliis locis libri mei, indicabo tibi locum exultationis meæ.

CA-

CAPUT XIX.

Matthæi 11.

Postquam autem abiissent, cæpit JESUS loqui ad Turbas: Cui comparabo generationem hanc? Similis est pueris sedentibus in platea, qui acclamant suos sodales, (è regione sedentes) lusimus vobis, & non saltâstis, cecinimus carmen lugubre, & non estis lamentati, &c. Tunc incæpit exprobrare Urbibus, in queis plurima ejus miracula facta sunt, quòd non reverterentur ab operando malum: Væ tibi Corozain, &c. In tempore illo respondit JESUS, & dixit: Confiteor tibi Pater Domine Cœli & Terræ, quia abscondisti hæc à Sapientibus, & revelâsti ea Humilibus, &c. Totum hoc caput loquitur de Sapientibus, qui superciliô plusquam Pisandricô Sapientiam sibi arrogant, quam non habent. Hi JESU Nazareni Sapientiam noluerunt accipere, hi Doctrinam illius spreverunt, cùm tamen pauperes, & simplices è vulgo illam acceptârint. Planè sicut Baptismum Joannis, pauperes quidem acceperunt, eoque baptizati sunt; divites autem, & potentes eum deriserunt. Videndum itaque est in Prophetis, prædictúmne fuerit, fore, ut Messiæ Doctrinam Idiotæ reciperent, & Pseudo-Sophi rejicerent.

Prophetiæ.

I. *Exspectabo Dominum, qui abscondit faciem suam à Domo Jacob, & præstolabor eum. Ecce ego, & Filii mei, quos dedit mihi Dominus, sumus in portentum, & ostentum Israëli.* Isa. 8. Noli existimare, Lector mi, hanc Prophetiam pertinere ad Isaiam, & Ezechiæ tempora solummodò: nam Magistri eam de Messia exposuerunt in Gemmara Sanhedrin c. 4. Et sanè Messias est Lapis ille, in quem impingere Israëlitæ dicuntur. Quid causæ fuit, quòd Isaias cum Filiis suis h. e. Discipulis suis sibi instar Filiorum dilectis, portento ipsis fuerit? nisi quia exspectavit eum, qui faciem suam abscondit à Domo Jacob, DEUM nempe in carne absconditum. Quantò majoribus cachinnis non erant excepturi ipsummet Messiam, in vili habitu ab oculis

eorum abſconditum ? & Diſcipulos ? teſtificantes ipſum eſſe Meſſiam, Regum potentiſſimum. Sicut Prophetis fecerunt, & præconibus Regis, ſic facturi erant Regi ipſi in ea forma venienti, quam Prophetæ prædixerant, & ob quam exploſi fuerant. II. *Et judicabit in Juſtitia debiles, & jus dicet miſeris in Terra.* Targum : Jus dicet in æquitate, & veritate hominibus ex infima plebe. Si quis in verbis Chaldaïcis ludere voluerit, ſic transferet : *Arguet excæcantes plebem* ; & tunc ad Phariſæos illius temporis, non ineptè alludet. Res hæc nulli Judæorum adeò mira videri debet, ut offendatur Meſſiam à ſuis receptum non fuiſſe, niſi à paucis, iisque ferè Terræ Filiis ; illi ipſi enim Magiſtri & Rabbini, qui antiquitus floruerunt, & JESUM Nazarenum execrati ſunt maximè, fatentur in Talmude ſuo, homines illius ætatis, quâ Meſſiæ veniendum eſt, adeò impudentes fore, & beſtiales, ut canum faciem gerere videantur. III. *Quia ſic ait Excelſus, & elevatus habitans Æternitatem, & SANCTUS nomen ejus : Excelſum & Sanctum (Locum) habito, & contritum humilemque Spiritu aſpicio, ut vivificem Spiritum humilium, ut vivificem cor contritorum.* In hac ſectione excitat Propheta Populum Iſraël ad ſperanda Beneficia tempore Redemptoris ; debet igitur de hoc tempore textus accipi, cujus hic eſt ſenſus : Ego cùm ex ſolio gloriæ meæ venero ad vos, humiles maximè & contritos reſpiciam : hi accipient miſſam ſalutem : at robuſti ſibi ipſis præfidentes, & ſuâ tumidi ſapientiâ, contemnent illam, & expellentur è Regno illius. Nam Scripturâ teſte : cum modeſtis eſt Sapientia. Ad quid Sapientia erit, ſi Verbum Domini contempſeris ? Jerem. 8.

CAPUT XX.

Matthæi 12.

ET JESUS ſanavit omnes, & prohibuit ; nè ipſum divulgarent.

Prophetiæ.

I. *Non clamabit, non elevabit vocem, non audietur extrà* ...

II. *Quoniam tu es DEUS occultans ſe ; DEUS Iſraëlem ſalvans, confun-*

confundantur & erubescant omnes pariter, abeant in confusione fabri Idolorum. Israël salvatus est in DEO suo Salute sempiternâ. R. David super hunc locum inquit : Fabri Idolorum abeant in confusione, eò quòd Idola nequeant eos salvare in tempore angustiæ; verùm Israëlitæ non confundentur : nec pudebit eos Redemptoris sui, is enim est DEUS Benedictus; ut habetur in Medrasch Psal. 31. de quo hôc locô dictum est : *Israël salvatus est in DEO suo.* DEUS Israëlem salvans, qualis putas es DEUS ? DEUS occultans se. Pone jam interim, Messiam non esse DEUM; sed DEI salvantis Legatum, & Plenipotentiarium : attamen ex hoc textu clarè elicies, eum se se occulaturum, ad DEI salvantis exemplum; qui eôdem locô se, & Salvatorem, & occultantem se, appellat. Isa. 45. Huc spectant, quæ scripsit Rasche in Commentariis Danielis c. 8. III. *Non est forma ei, aut gloria, &c.* Additur ibidem : *Et nec reputavimus eum dignum, in quem oculos intenderemus.* Præ nimia nempe humilitate non volet Messias videri Messias, & cum admiratione aspici.

CAPUT XXI.

Matthæi 13.

EOdem die egressus est JESUS ex Domo, & sedit ad oram Maris, & congregatæ sunt ad eum Turbæ multæ, & ipse ascendit in Navim, & sedit, & omnis Populus stetit ad oram Maris, & locutus est eis multa in Parabolis.

Prophetiæ.

I. *Inclinabo ad Parabolam aurem meam, aperiam in Psalterio Symbola mea.* Et hujus inclinationis meritô : *DEUS eruet animam meam à manu inferi.* Psalmus loquitur de hominibus, qui suis confisi opibus, & sapientiæ, detrectant audire Parabolas, & Axiomata Justorum. Quomodo autem hoc referendum sit ad Messiæ tempora, colligitur ex isto versiculo : *Dominabuntur eorum Recti in Matutino.* R. Salomon : Matutinum, est tempus Redemptionis. Quia nempe Recti, & Mansueti

sueti audierunt præfatas Parabolas libenter ex ore Justorum; & Magistri Justorum, qui est Messias; ideò hi dominabuntur improbis, qui eas audire noluerunt, ac per hoc Regno DEI indignos se præstiterunt. Vide R. Majemonidem, cujus Sententia est: Messiam multa abstrusa in Parabolis, & Ænigmatibus, expositurum. II. *Fiat Mensa eorum coram ipsis in laqueum.* Mensa Inimicorum Messiæ. Cùm enim paulò antè dixisset: *In siti mea potaverunt me acetò*, quod sinè dubio de Messia intelligendum esse, docetur in Medrasch Ruth. 2. Finitâ miseriarum, & injuriarum sibi illatarum enumeratione, ait: *Fiat Mensa eorum, &c.* Mensa inquam Doctrinæ Messiacæ, ut communiter in Proverbiis: Mensa pro Doctrina. *Et paces in scandalum.* Sic vertere libuit, ut Redemptionem Messiæ, quæ pax dicitur, ostenderem, Pharisæis, & aliis hostibus merum fuisse offendiculum. *Obscurentur oculi eorum, nè videant.* Quoties enim in Parabolis loquebatur JESUS, ferè toties Pharisæi cæcutiebant. Et hæc quidem cæcitas, pœna est incredulitatis. III. *Audi, Populo mi, LEGEM meam, inclinate aures vestras ad VERBA oris meis, aperiam in PARABOLA os meum.* Meminit in hoc Psalmo Asaphus omnium Generum Methodi, quâ Scriba aliquis aut Legis Doctor uti potest, ad Legem aliis commodè explicandam. Vel enim id fieri potest: Per *Legem, Verbum, Parabolam:* vel: *Ænigma, Sermones novos, antiquos.* Cùm igitur Messias sit Scriba ille magnus, quem in Isaia clamantem audimus: *Attendite mihi, Populo meus, & natio mea, audite me*; nulli dubium esse poterit, eum in proponendis Legis suæ mandatis, de qua ibidem: *Lex à me egredietur*, his quinque Methodi Generibus usum, plurimas Populo Parabolas enarraviisse.

CAPUT XXII.

Matthæi 14.

CUm serò esset, accesserunt ad eum Discipuli ejus, dicentes: Locus desertus est, & hora jam transiit; quodcircà dimitte turbas,

turbas, ut eant ad vicos, & emant sibi cibum. Et dixit eis JESUS: Non est opùs eos abire, vos date illis. Et respondérunt ei: Nihil habemus hîc, præter quinque panes, & duos pisces. Et dixit eis: Apportate mihi eos huc, turbas autem jussit recumbere in fœno in campo. Et ipse accepit quinque panes, & duos pisces, & elevavit oculos suos ad cœlum, & benedixit, & fregit, & dedit panem Discipulis suis, & Discipuli ejus dederunt turbis; & comederunt omnes, & saturati sunt, & remanserunt eis duodecim canistra plena micis. Et numerus comedentium erat quinque millia virorum sinè fœminis, & parvulis. Sic fecit JESUS bis.

Prophetiæ.

I. *Erit firmamentum panis in terra.* Hujus loci multiplex est explicatio; ego Targum sequor. Firmamentum, R. Salomon vocat: Augmentum, multiplicationem, à Radice Josaph: æquè bene. Darschanistæ ajunt super hunc versum: *Placentas jam pistas, ex terra germinaturas tempore Messiæ*; sed intelligendi sunt de copia panis, quam daturus est Rex Messias in deserto, tam mirabili modô, ut alicui ex terra germinare videri possint. II. *Et inclinabo ad eum cibum.* Oseæ 11. Loquitur Vates de temporibus Mose, quando Israël fuit in deserto, ideoque lege: Et inclinavi. Sed quia adinstar Mosis, Messias erit Israëli, lege etiam: Inclinabo. III. *Revertentur sedentes in umbra ejus, vivent frumentô.* Oseæ 14. Communiter à Rabbinis, sicut & ab ipso Chaldæo, exponitur versus hic, de reductione captivorum Israëlis tempore Messiæ, quam quidem reductionem corporalem sub ipso JESU Nazareno non vidimus contigisse; quâ ratione autem etiam hic versus ad eum spectare possit, in fine hujus Tractatûs habes.

CAPUT XXIII.

Matthæi 15.

TUnc accesserunt ad eum à Jerosolymis Scribæ, & Pharisæi, dicentes: Quare Discipuli tui transgrediuntur Statutum Majorum? nam non lavant manus suas, cùm manducaturi sunt.

Et Ipse respondit eis, & dixit : Quare vos transgredimini Præcepta DEI propter constitutionem vestram ?

Prophetiæ.

Quascunque hoc loco Prophetias adduxero, eò tendent omnes, ut exhibeant Lectori statum Doctorum Legis tempore Messiæ ; ostendam etenim prædictum fuisse à Prophetis, futurum, ut circa tempus illud, Scribæ præferrent verba sua, verbis Legis, utque Messias eos erroris redargueret. Itaque sit Prophetia : I. *Et dixit DEUS : Siquidem appropinquat (mihi) Populus iste, in ore suo, & in labiis suis honorant me ; & cor ejus elongatum est à me, & tantùm respiciunt me, coluntque juxta præceptiones humanas, quas insuper ediscunt sedulò ; Ego quoque volo, addatur* (præcedentibus plagis) *sat mirandis, adhuc hoc unum valde mirabile* ; videlicet : *Pereat sapientia sapientum ejus, & intelligentia intelligentium ejus confundatur.* Isaiæ 29. Videamus jam, quò tempore miserabiliùs sapientum Israëliticorum sapientia defecerit, primine, an secundi Templi ætate ? Sanè post tres ultimos Prophetas, qui in Templo secundo vaticinia sua prompserunt, abscessit ab eis Spiritus Sanctus, Domus Scholis dedicatæ versæ sunt in lupanaria. Sanhed. c. Chelek. ubi plorant Rabbini super Academiam illam adeò famosam Nahardeæ in Babylonia. Sic in Bava Metzia legimus : illius temporis Doctores constitutionibus suis majorem attribuisse authoritatem, quàm Legi. In Sota c. Hojo Notel expressè habetur : Pharisæos omnia in suum feciisse commodum, non autem ad DEUM Cœli purò animò honorandum. Illud quoque quod apud eos adeò notum est ; tempore duorum Doctorum Schamai, & Hillel, Legem unam in duas divisam fuisse, propter admixta hinc inde hominum commenta : in hæc incidere tempora, clariùs est, quàm ut apponatur. Abominationes hasce non legimus de Sapientibus Templi primi ; quia signorum Messiæ unum est : ut falsam destruat Sapientiam, juxta ea quæ ex Rabbinis attulimus. Quodsi autem dubium tibi suboritur, an JESUS illam destruxerit, lege gesta ejus. Cæterùm quò magis tunc recesserunt

à veri-

à veritate, eò admirabilior fuit DEUS in eis confundendis. II. *Periit consilium à Filiis, inutilis facta est Sapientia eorum.* Jer. 49. In Gemmara Sanhedrin hæc sunt: In illa generatione in qua Filius David veniet, Sapientia Scribarum reddetur inutilis. III. *Et erit veritas spoliata.* Isa. 59. Hunc quoque textum de Messiæ ævo accipiunt Rabbini; voluntque, tunc nullam omninò reperiendam veritatem; & tanquam nulla unquam fuisset in Orbe, ità omnia falsitate obducenda.

CAPUT XXIV.

Matthæi 15.

ET venit JESUS ad confinia Cæsareæ Philippi, & interrogavit unumquemque Discipulorum suorum dicens: Quem dicunt Filii hominis, esse Filium hominis? Et dixerunt: Aliqui Joannem Baptistam, & aliqui Eliam, & alii Jeremiam, aut unum ex Prophetis. Et dixit JESUS: Vos autem quem esse me dicitis? Et respondit Simon Cephas: Tu es Messias Filius DEI Vivi. Et respondit JESUS: Beatus es tu, &c.

Prophetiæ.

I. *Ante Solem crescet Nomen ejus.* Targum Jonathanis: Antequam esset Sol, præparatum est Nomen Messiæ. Porrò non est aliud Nomen Messiæ celebrius, quàm *Filii DEI.* Sicut scriptum est: *Ipse invocavit me, Pater meus es tu, DEUS meus. Ipse:* vult dicere Messias, sicut explicatur in Exodo Majore à R. Nathane c. 15. Neque dicas, eum vocari Filium DEI, ad modum eum, quo in Daniele vir quartus, similis dicitur Filio DEI, h. e. Angelo; jam enim tibi exposui Scripturam ex mente Rabbinorum, quâ ostenditur Messiam Angelis multò majorem esse. II. *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis.* Psalmus de Messia est, juxta superiùs dicta; quocirca Messias erit Davidis Dominus. Et quâ ratione hoc evincemus? David Rex erat, Messias Rex quoque erit. Messias Propheta, David etiam Propheta. David Pater Messiæ, Messias Filius David. Igitur non tantùm Davidis Do-

minus non est Messias, sed etiam Davide inferior. Videamus. De Messia hoc loco dicitur : *A vulva, ab aurora tibi ros Juventutis tuæ.* Neque putandum est Messiæ Juventutem, sive Generationem, velutì ex Hebraïco verti potest, tantùm à Davide pendere: cùm legamus à vulva, h. e. sinè semine viri à vulva sola, & ab aurora, h. e. ante auroram, à diebus æternitatis, Generationis rorem suæ ipsum habere. Ad hoc etiam legimus in Propheta : Egressus ejus esse ab æterno, ubi studiosè dicitur : Egressus in plurali ; alius est enim egressus, quô coram Patre egreditur sinè Matre, & alius quo à Matre sinè Patre. Unde ad eum Pater æternus ait : *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Omnium quidem Genitor est DEUS, nosque omnes ipsius sumus Filii ; aliô tamen modô est Genitor Messiæ, quàm sit noster, aut Davidis ; quia nisì hoc dicamus, non video, in qua re majorem esse Filium Davidis, Davide Patre statuamus. III. *Osculamini Filium, nè irascatur.* Iste est Messias Filius DEI Benedicti ; testante librô Zohar. De eodem quoque scribitur in hoc Psalmo : *Pete à me, & dabo Gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam, fines terræ.* Non dixit: Dabo omnem Israël hæreditatem tuam, & possessionem tuam fines Judeæ ; sed Gentes, & fines terræ, qui sunt puncta cardinalia Orbis, juxta Rabbinos nullô sustentante sustentantia. Quis ô! quis hæreditatem universi Orbis jure Filii adscribere sibi potest ? si non sit Filius illius, de quo dicitur : *Quòd Mundus & plenitudo Mundi ad eum spectet, & omnes habitantes in Mundo.* Quapropter hæreditaret licèt Messias à Davide Judæam, Orbem tamen à DEO solo potest hæreditare. Fortasse alicui in mentem veniet, hos textus omnes unâ interpretatione convellere, dicereque : Messiam ideò vocari DEI Filium, & Hæredem Orbis, quòd sit substantia quædam creata omnibus hominibus & Angelis major: sed adhuc in ordine rerum creatarum contenta. At verò hæc interpretatio non consonat dictis Rabbinorum, præsertìm R. Josi Galilæi, qui in Echa Magna dicit Messiam vocari Pacem, ex Isaia : *Pater Æternitatis, Princeps, Pax.* Aben Esram ergò secutus dico : Nomen Messiæ hoc loco legendum conjunctìm :

Pater

Pater Æternitatis. Vel alios : Pater, Æternitas ; & concludo, hoc nomen nulli convenire nisi sit naturâ DEUS. Quare fatendum est, Messiam esse DEUM, DEI Filium ; & cùm plures DEos dicere nobis non liceat, ulteriùs concedendum est, Patrem, & Filium, unum esse DEUM : nec multiplicitatem intervenire ullam, nisi quâ parte Patrem Filius respicit, & ad eum refertur ; eâ namque nequit esse Filius, qui Pater est. Rem admiratione plenam dicturus videbor, si asseruero, nullum articulum fidei à Magistris uberiùs & pleniùs propositum esse, eô, qui Divinitatem Messiæ continet ; sed verum dicam. Primò enim in Jalkut Isaiæ in sectione : *Consolamini, consolamini*, longissimâ dissertatione ostenditur, Consolatorem Judæis promissum, esse ipsummet DEUM. Vide eam ibi, nam excedit limites propositæ mihi brevitatis. Rursus in eodem Jalkute, Zachariæ textu, qui incipit : *Exulta valde.* Ipse DEUS de suo ad redimendum Judæos adventu loquitur ; ajuntque Rabbini olim se ostensuros digitô DEUM Benedictum, & clamaturos : *Iste redimet nos.* In Sanhedrin c. Dine Mamonos R. Chia versum hunc : *DEUM Exercituum ipsum sanctificate* ; de Messia exponit. Dum præfatus R. Chia coram Discipulis hunc versum explicaret, fertur dixisse : *Spinas in oculos meos injicitis.* Nam videbat eos scandalum pati ex hac interpretatione. Curaturus aliquis hunc Rabbi cum Discipulis suis, adducat textum ex Bereschit Minore Versu : Lo Josur. Ibi dicitur, futurum, ut DEO Exercituum adferatur Munus : & ad quæstionem : *Quid intelligis per DEUM Exercituum ?* Respondetur : *Regem Messiam.*

CAPUT XXV.

Matthæi 17.

ET post 6. dies accepit JESUS Cepham, & Jacobum, & Joannem Fratrem ejus, & ascendit cum eis solis in Montem altum, & transfiguratus est vultus ejus, coram illis, & splendebat facies ejus sicut sol, & vestes ejus fuerunt albæ sicut nix. Et ecce ap-

paruerunt eis Moses & Elias, loquentes cum eo, & nubes lucida texit eos; & ecce vox de nube dixit: Iste est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui; audite eum.

Prophetiæ.

I. *DEUS ex Theman veniet, & Sanctus de Monte Pharan. Sælah.* Sicut venit DEUS, cùm daret Legem, ex Sinai, qui dicitur Pharan, propter vicinitatem; sic invehetur ex Montibus Israël, Messiæ tempore; dicit enim: *Recordabor vobis Pacti primorum temporum. Texit Cœlos gloria ejus.* Loquitur de Lampadis, quibus illustrabatur Cœlum; sic quoque super Messiam lucida descendit nubes, Cœlum illustrans. *Et splendor ut lux erit; cornua ex manu egredientia* (h. e. radios) *habet.* Loquitur de radio in facie Mosis; ità pariter alter Moses JESUS suo è vultu utrinque emittebat in Monte radios. Scire te hîc cupio, Messiam adhuc unâ venturum vice in gloria, & splendore, tuncque completurum Regnum suum, cujus promulsidem quandam in Monte Discipulis suis legitur præbibisse. II. *Populus tuus spontaneus in die potentiæ tuæ.* Psal. 110. Primò omnium admonendus es, Psalmum hunc esse Prophetiam de Rege Messia ex Medrasch, & Bereschit Majore c. 16. Deinde inquirendum, quænam sit dies potentiæ illius? Et Respondendum, diem illam esse, quà cæpit vilem mutare formam, & præseferre Majestatem. Hoc autem fuit in Monte, uti dictum; quando & spontaneum assumpsit Populum, selectos nempe Discipulos tres, quos etiam introduxit in splendores Sanctorum, ut viderent, qualem gloriam dederit ei Pater. Aut lege: Imcho pro Amcho, & erit sensus: Tecum bonæ voluntates, seu spontaneitates. III. *Pulcher factus est plùs quàm alii Filii hominum, diffusa est gratia in labiis tuis, &c.* Targum: Decor tuus ô! Rex Messia, superat decorem humanum. Hoc sinè dubio tunc completum est, cùm JESU facies, solis instar rutilaret. Pergit Paraphrastes: *Et datus est Spiritus Prophetiæ in labiis tuis;* cùm loqueretur Mosi & Eliæ. Et quantumvis mox ab ipso vitæ lare Spiritus super eum Sanctus quieseret; nunquam tamen adeò potenter, & patenter ostendit gloriam, inha-

inhabitantis : quàm dum ſuper omnem humanam ſpeciem ſe obtulit intuendum. Hactenus namque ſimilis erat aliis hominibus, perfecti quidem decoris ; ſed humani tamen : nunc autem & humanô majoris.

CAPUT XXVI.

Matthæi 20.

Filius Hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare.

Prophetiæ.

I. *Et erit Dominium ſuper humerum ejus.* Scripturam hanc de Meſſia exponunt Rabbini, quem docent ſuſcepturum eſſe Legis jugum, & nobis debitam ſervitutem in ſemet translaturum ; conformiter alteri Scripturæ : *Et ipſe peccatum multorum tulit.* Meſſiæ Principatus ex hac ſubjectione ſua ſumit initia ; pergit enim Scriptura : *Idcirco*, vult dicere, quòd aliorum multorum peccata luit, *dividam ei multos*, h. e. ſubjiciam, *& fortium dividet ſpolia.* II. *Ego vermis & non homo, opprobrium hominum, & abjectio plebis.* Totus Pſalmus de Meſſia diſſerit, teſtimonium perhibente Collectore Francofortenſi. Paraphraſtes autem ſic vertit : *Ego debile inſectum, & non vir robuſtus, porto omnium hominum opprobria.* Et benè : qui etenim miniſter eſt, opus eſt, ut omnis generis exprobrationes, & contumelias perferat. III. *Filii hominum ! ſeu Viri ! quouſque gloriam meam* (vertitis) *in calumniam ?* Pſal. 4. 3. Commentaria R. Salomonis Iſacii ſic habent : *Quouſque ſpernitis me ? Quis eſt David, dicentes per ſarcaſmum, & quis eſt Filius Iſai ?* Eadem querela convenit Meſſiæ, qui vocatur in Scriptura, David, & ſurculus de trunco Iſai. Sicut ſpreverunt olim truncum, ſic ſpreturi erant ſurculum ; quanquam enim Regnum haberet in manibus tanquam Iſai Nepos ; tamen ſeipſum depreſſit adeò, ut eum viliſſimo Mancipio, ut eſt in Iſaia c. 53. compararent ; ſicque antiquam Jeſſeæ ſtirpis calumniam in ſe derivavit.

CA-

CAPUT XXVII.

Matthæi 21.

ET quum appropinquarent Jerosolymis, & venirent usque Bethphage ad Montem Olearum; misit JESUS duos Discipulos, & dixit eis: Ite in Castellum, quod coram vobis est, & statim invenietis ibi asinam alligatam, & pullum eam ponè; solvite ea, & adducite mihi, &c. Et iverunt Discipuli, & fecerunt, sicut præcepit eis JESUS, & adduxerunt asinam & pullum, & imposuerunt vestimenta, & fecerunt eum desuper sedere.

Prophetiæ.

I. *Ligans ad vitem pullum suum, & ad Sorekam* (speciale est vitis genus) *asinam suam.* Textum esse de Messia absque omni controversia, reperire poteris in Bereschit majori bis. In sectione nempe Miketz, & Vajechi. Præterea in Talmude tract. Berachoth. Haroe. In Jalkut, & Paraphrasi Jerosolymitana. II. *Exulta valde, Filia Sion, hinni, Filia Jerusalem: ecce Rex tuus venit tibi Justus, &c.* ut est in Zacharia. III. *Non in fortitudine equi complacebit sibi, nec in tibiis viri beneplacitum erit ei.* In Psalmo hoc vidit David cœtum Filiorum Israël, exulum, & captivorum, & dixit: *DEUS non salvabit illos armis*, v. g. equorum, & equitum apparatu; quia non placent ipsi talia; atque ità necesse fuit, Messiam venire in summa mansuetudine, sinè clypeo, & quadrigis, vectumque asinô, vestibus Discipulorum instratô salvare Populum. Id quod in Daniele quoque expressum legimus: Regnum nempe Messiæ non iri occupatum manibus, h. e. non vi, aut potestate sæculari, sed sceptrô oris, & spiritu labiorum obtinendum—. Docere Messias debuit subditos sibi absque strepitu, non arma tractare. Cùm autem secundò venerit, nec tunc quidem occidet Armilum impium gladiô aut hastâ; sed spiritu oris sui.

CA-

CAPUT XXVIII.

Matthæi 21.

ET Turbæ quæ præcedebant, quæque sequebantur eum, clamârunt dicentes : Osanna Filio David, Benedictus qui venit in Nomine Domini. Osanna in Excelsis. Et Pueri clamabant in Templo, & dicebant : Osanna Filio David.

Prophetiæ.

I. *Halleluja. Laudate Dominum quoniam bonus.* Psal. 118. *Benedictus qui venit in Nomine Domini. Benediximus vobis de Domo Domini.* Cùm venerit Redemptor, dicent : *Benedictus qui venit, &c.* Et Pueri ex Templo respondebunt : *Benediximus vobis de Domo Domini.* Et totus Populus exclamabit : *Eja Domine salva nos, eja Domine felices nos redde, eja! nam DEUS Redemptor noster es ; & illuxisti nobis.* Vel : *Et illuxit nobis.* Vide Medrascham hujus Psalmi. II. *Ex ore infantium, & lactentium fundâsti robur, propter inimicos tuos ;* qui te Messiam DEUM nostrum esse negant. Per robur in hoc textu aptè intelligere possumus Redemptionem, de qua alibi Vates modulatur, cùm dicit : *In robore tuo lætabitur Rex.* Targum : In robore tuo lætabitur Rex Messias. III. *Et Redempti DOMINI revertentur, & venient in Sion cum cantu.* Quemadmodum enim egressi ex Ægypto carmen concinuerunt ; ità educente illos Messiâ ex afflictione, & in libertatem transferente, carmen dicent.

CAPUT XXIX.

Matthæi 21.

ET venit JESUS in Templum, & ejecit omnes vendentes, & ementes in Templo.

Prophetiæ.

I. *Nam zelus domûs tuæ comedit me.* Jam ostensum est suprà, hunc Psalmum pertinere ad Messiam. Idcircò quidquid

in illo singularis est numeri, vox est Messiæ. II. *Domine dilexi habitationem Domûs tuæ, & locum residentiæ Gloriæ tuæ*. Quamvis verba præmissa in Davidis persona dicta sint; non minùs tamen ad Messiam traduci possunt, utpote Davidis & successorem, & in iis quæ ad Ecclesiasticam pertinent felicitatem, non similem modò, sed majorem quoque Davide instauratorem; unde & sicut aliàs adnotavimus, David vocatur. III. *Siquidem Domus mea, Domus Orationis vocabitur omnibus Gentibus.* Isa. 56. Quando? Cùm Messias venerit. Tunc etenim & aliæ omnes Gentes venient oraturæ in Templo Domini. Sed quid faciendum est Messiæ, ut Domini Domum ostendat, Orationis Domum esse? Expellendi sunt ex ea mercatores; quod nisi fiat, latronum spelunca, & furum aliorumque sceleratorum angulus vocabitur, ut est in Jeremia c. 7.

CAPUT XXX.

Matthæi 23.

TUnc allocutus est JESUS Jerosolymam: Quoties volui congregare Filios tuos, sicut Gallina congregat pullos suos sub alas, & tu noluisti! Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.

Prophetiæ.

I. *Quodcirca sic dicit Dominus DEUS: Ecce ego fundo in Sion Lapidem, Lapidem probatum.* Isaiæ 28. R. Salomon Jarchius seu Isacius subrogat: *Messiam.* Et *ponam Judicium rectum, sicut qui extendit lineam super ædificio, quando rectificat muros.* R. Salomon: Antequam veniat iste Rex Messias, inducam super vos omnes persecutiones pridem decretas; ut hoc modò deleantur ex vobis prævaricatores. *Et auferet grando spem falsam.* Comparat inimicum & persecutorem grandini, & aquis inundantibus. *Et nunc nè vertatis hanc comminationem in risum, nè fortè duriora fiant vincula vestra.* Nam si in ipsa Messiæ præsentia adhuc illuseritis ei; non solùm non exibitis ex miseriis, in quas ante adventum ejus conjiciemini, sed insuper: *Consummationem, integramque destructionem audivi à Domi*

Domino DEO Exercituum. Qui hoc locô non videt Evangelii cum Vaticiniis antiquis conformitatem, is vix in capite oculos habere potest. Verùm & multò clariùs hinc probatur JESUM Messiam fuisse; cùm enim Propheta dicat, ante adventum Messiæ plagis multis afficiendos, & præparandos esse Judæos ad recipiendum Redemptorem, quem, si non receperint, sed exploserint, statutum esse excidium plenum perfectumque populi; & vel ipsò teste Josephô, propter occisum JESUM, Titus Urbem, & Regnum Jerosolymitanum exciderit; nihil supereſt ambiguitatis in JESU Persona, quominùs pro Messia habeatur. II. *Et offendent in eis multi, & cadent, & confringentur, & illaqueabuntur, & capientur.* Videlicet in Lapide offensionis, & Petra scandali, quæ Messiam esse, supra demonstravi. III. *In die illo erit germen Domini decorum, & glorioſum, & fructus terræ ſublimis, & pulcher, reliquiis Iſraël.* Isa. 4. Non dixit erit germen Domini decorum & glorioſum omni Israëli; sed reliquiis tantùm. Non remanebit quippe DEO & Messiæ quidquam, nisi populus humilis, & pauper, & sperans in Domino, sicut scriptum est: *Et erit: reſiduus in Sion, & reliquus in Jeruſalem Sanctus vocabitur.* Ejusmodi Vaticiniorum plenæ sunt veteris Testamenti paginæ; nihilque inculcatur frequentiùs, quàm paucos in Messiam credituros, reliquis ferè impiis clade universali involvendis. Unum adnecto: *Si laverit Dominus ſordes Filiarum Sion, & ſanguinem Jeroſolymæ ejecerit è medio ejus in Spiritu Judicii, & in Spiritu furoris.* Ibidem. *Quando erit germen Domini glorioſum?* sive ut Targum habet: *Meſſias Domini in honorificentia?* Quando lotæ fuerint sordes Filiarum Sion; usque ad illud autem tempus erit in opprobrio, & odio mortali; ab illo porrò tempore in gloria. H. e. post devastationem Urbis.

Ex hac sacrarum literarum serie facilè colligitur, JESUM si à gente sua receptus fuisset, eidem genti suæ ac popularibus omnibus gloriam maximam fuisse causaturum. Voluit ipse, ut de se in hoc capite loquitur, dispersos suô tempore in aliis Regionibus Judæos, fideliter congregare, ob id enim vocatur: Lapis fundamentalis Sionæi ædificii; sed superbia eo-

rum attulit eis miseriarum omnium cumulum, ut disertè fatetur Majemonides in c. 11. Regum ità scribens : *JESUS Nazarenus in causa est, quod perierit Israël in gentibus dispersus, & humiliatus; quem audire si voluissent, inquam ego, deliciæ omnium nationum, Judæi fuissent.*

CAPUT XXXI.

Matthæi 24.

Tunc tradent vos in angustiam, & occident vos, & odio habebunt vos, omnes gentes, propter nomen meum. Et tunc impingent multi, &c. Et statim post tribulationem dierum illorum, obscurabitur sol, & luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent ex cœlo, & potestates cœlorum movebuntur; & tunc videbitur signum Filii hominis in cœlis; & tunc plangent omnes tribus terræ, & videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli in virtute magna, & in gloria.

Prophetiæ.

I. *Veniet enim sicut flumen, angustiator.* Isa. 59. In Sententiis Magistrorum legitur : Si videris sæculum plenum tribulationibus & persecutionibus, exspecta eum, h. e. Messiam. Et pro confirmatione adducitur ibi Isaiæ præmissa Prophetia, cum textu qui sequitur : *Et veniet in Sion Redemptor.* Explicatio Kimchii sic habet : *Timebunt DEUM ab oriente & occidente omnes terræ incolæ, quando veniet persecutor sicut fluvius.* Quamprimum namque in oriente & occidente divulgari cœpit fides JESU Nazareni, statim aderat persecutor, & judæus, & gentilis; quæ quidem persecutio à Nerone, durabit usque ad Gog, & Magog persecutorem illum magnum κατ' ἐξοχὴν sic dictum, crescente interim in mundo fide Messiæ, donec Spiritus DEI ipsum fugaverit, ut adjungit Isaias. II. *Accedite gentes ad audiendum, & populi attendite; audiat terra & plenitudo ejus, orbis & omnes propagines ejus; quia furore correptus est Dominus super omnes gentes, & ira ejus super omnem exercitum eorum, excidit eos, & dedit interneconi, &c. Et contabuerunt omnes acies cælo-*

cœlorum, convolutiqúe sunt cœli adinstar voluminis, &c. Totam sectionem hanc de futuris temporibus exponit Radak Isaiæ 34.

III. *Et plangent super eum, sicut plangitur super unigenitum* 9. Scripturam hanc nonnulli explicant de Messia Filio Joseph; sed opinione meâ falluntur. Ac primò quidem apparet ex Prophetia domum Joseph non plancturam; sed domum David tantùm, cum Familiis suis, Nathan, & Schimhi; aliisque quæ tunc supererunt. Si ergo Filius David non morietur, neque transfigetur, verùm potiùs sinè vulnere, sinè labore, pompâ ingenti hostem invadet, & superabit, cur quæso sola Davidis Familia, & quædam aliæ plancturæ dicuntur, Familia autem Joseph minimè? Non ignoro equidem hoc argumentum, si nihil addatur aliud, infirmum, & imbecillum haberi posse; quod tamen additâ exiguâ adnotatiunculâ est Achilles. Do etenim adversariis, omnes quidem Jacobicæ domûs familias plancturas esse, sed Davidicæ tanquam Principis fieri mentionem; ex hoc enimverò ipso occisum illum, super quem planctus instituendus est, ex Davidica domo futurum pertendo, non Josephina; quia impossibile est cogitatu, quomodo hanc solam Prophetes transiliisset; quæ quod ad luctum attinet, Principem deberet habere locum, si occisus, foret ex domo Joseph. Eapropter Davidis Filium Messiam hîc indicari ipsa clamat Prophetiæ series, quæ Familiam David, & primô locô, & per ramos divisam nobis in miserabili luctu ob oculos ponit. Quod quidem multò evadet manifestius ex Geneseos Majoris c. 28. ubi quod in eodem Zachariæ 12. capite dicitur: *Et effundam super domum David, &c.* de Messia Filio David exponitur. Quæ cùm connexa sint, & sinè aperta violentia alterum ab altero disjungi nequeant, sequitur totum contextum de eodem Messia esse intelligendum. Atque hinc disces, quàm non frustra miratus sit hoc locô Radakius eorum præcipitantiam, qui de Messia Filio Joseph, quæ diximus, exposuerunt. Juvatur insuper mens nostra ex Targumicis Jonathæ Commentariis. Zacharias c. 4. sic alloquitur Zorobabelis inimicos: *Educet* Zorobabel *Lapidem primarium cum clamore multitudinis* acclamantis: *Gratia Gratia*

Lapidi *huic.* Targum Jonathan : *Et revelabit Messiam, cujus nomen est primarium*, h. e. primò, ab initio mundi prædictum; *& dominabitur in omnibus Regnis.* Hìc nemo dubitat de Messia Filio David sermonem esse ; ergò nec ibi, ubi per ipsum effundenda dicitur gratia super domum David ; nam uterque Scripturæ locus ad eandem rem spectat, teste dictâ Genesi 9. Solùm remanet dicendum, Messiam gratiam attulisse, sed ab iis, qui gratiæ non crediderunt, transfixum fuisse, prout infrà latiùs probabo. Hoc interìm antequam à capite recessero, primæ Prophetiæ genuinum me dedisse sensum, contra sequiora quorundam judicia, demonstratum ibo. Dico igitur Expositionem positam per omnes partes apprimè convenientem esse. I. Messias in priore adventu suo, quando videlicet exprobraturi erant extrema illius, ut est in Psalmo, venit ad salvandas animas, dandamque felicitatem spiritualem. Assertio fundatur in illo Zachariæ : *Et auferam iniquitatem terræ hujus in die una.* c. 3. quia nequit excogitari animæ major felicitas, quàm ablatio iniquitatis. II. Si verò recepissent eum, & exhortationes illius bona spiritualia concernentes, dedisset eis quoque felicitatem corporis temporalem. Sed de non recipiendo vaticinati sunt Prophetæ, prædicentes, Discipulos Messiæ vinculis & carceribus esse addicendos. Assertio hæc altera fundatur in Sophoniæ c. 3. ubi sic scribitur : *Idcircò exspectate me usque ad diem, quâ in judicium, & veritatis testimonium consurrecturus sum.* Quasi dicat : Usque ad diem judicii persecutio, & angustiæ: eritisque ô! chari partim à gentibus, partim à fratribus vestris affligendi; sed exspectate me. III. *Veniet enim in Sion Redemptor.* Subintellige : Ille ipse cujus extrema, sive obitum infamem in cruce, quondam exprobraverunt. *Et revertentibus à peccato.* H. e. illis adhuc veniet Redemptor secundò, in quem peccaverunt primò. Assertio hæc nititur testimonio Jeremiæ c. 3. *Accipiam vos unum ex civitate.* Radak sic exponit : *Si quidem volueritis observare mandata mea* (præsertim de suscipiendo Messia) *non abducemini captivi* ; sed etsi abducti fueritis, quia quæ præcepi effecta dare noluistis ; adhuc, accipiam vos, & liberabo vos à capti-

captivitatis jugo ; etiam postquam ità conteremini, ut non sint in civitate aliqua populosa plures captivi unô.

CAPUT XXXII.

Matthæi 26.

TUnc abiit unus ex duodecim Discipulis, qui dictus fuit Judas; Isch. h. e. vir, ex Karioth oppido, *& ivit ad capita Sacerdotum, & dixit eis : Quid vultis mihi dare, & ego tradam eum vobis ; & ipsi constituerunt ei* 30. *argenteos, & ex tunc ille quærivit tempus opportunum, tradendi eum.*

Prophetiæ.

I. *Et dixit eis : Si bonum est in oculis vestris afferte mercedem meam, & si non, quiescite. Et appenderunt mercedem meam* 30. *argenteos.* Zach. 11. Audiamus Kimchii docta commentaria: *Afferte mercedem meam.* Kimchius : *Revertimini, pœnitentiam agite. Et appenderunt mercedem meam.* Kimchius : *Non sunt reversi, sed pro eo quòd paverim eos virgâ & baculô dolorum, contumelioscè mihi dederunt argenteos triginta.* h. e. Rem quæ hilo non sit comparanda. Vult dicere : opera quædam exigua, & ad oculum facta. Nunc si historicum scripturæ sensum habere velimus, reflectendum est nobis ad JESU Nazareni tempora, qui quòd baculô dolorum in pœnitentia meritò sustinendorum, populum paverit, mercedis locò 30. accepit argenteos, quibus eum à Juda Sacerdotes illius temporis emerunt. Et sanè quandoquidem Prophetia, omnium opinione, tempora secundi templi respicit, nec aliquid legamus illi propiùs accidisse, quàm venditionem JESU tunc factam, concludendum sinè hæsitatione arbitror, de illo dictam, in illoque completam esse, quam attuli Prophetiam. II. *Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique. Et si is qui oderat me, in me insurrexisset, abscondissem me forsitan ab eo. Tu verò homo collega meus, &c.* Psal. 55. Prophetia est de rebus futuris tempore Messiæ, quod indicat vocula Nigun psalmo præfixa, ut alibi dixi. III. *Sic dicit Dominus :*

Super

Super tria peccata Israël, & super quartum, non reducam Eum, super eo, quod vendiderint argentô justum. Hunc versiculum exponit R. Majemonides de Israëlitis, qui templô secundô florente vixerunt; dicens enim quòd JESUS Nazarenus causaverit plenum Israëli excidium, non loquitur de templo primo. Sicut nec Propheta hoc locô. Quidquid enim fecerint Israëlitæ primi templi temporibus, attamen reducti sunt, ut est in Nehemia c. 7. ubi dicitur: *Omnem Israël* (adverte non Judam modò) *habitâsse in Urbibus suis.* Ergò illud, super quo non ampliùs reducendi dicuntur, scelus; est venditio Justi in templo secundo, qui non est alius, quàm ille idem, qui causavit, ut ait Majemonides, nè reducerentur. Plurimæ hìc congerendæ essent Prophetiæ, ad ostendendum, Messiam *Justum* illum esse; sed paucis rem absolvamus. I. *Rex tuus venit tibi Justus*, ex Zach. ubi supra. II. *Ab angulo terræ cantica audivimus, celebrata in honorem Justi;* ex Isaia c. 24. quem locum de Messia exponit Radak, quando totam sectionem adhuc complendam esse (ut arbitratur) Messiâ veniente definit. Attendenti verò ad eas JESU Nazareni laudes, quas indies, prope, proculque audire datur, facilè occurret, illam in ipsomet Jesu completam esse. Nec dicant Patres Judæi, à se non esse venditum JESUM; nam in hac ipsa sectione stat contra illos dictum: Kekone Kemocher. *Sicut emens sic vendens.* Cogitent potiùs quomodo pœnitentiæ seriæ remediô, inveniant reditum ad DEum, & terram suam, ad quam propter Justi JESU venditionem eos se reducturum esse per Prophetam Amos, DEUS negavit. c. 2.

CAPUT XXXIII.

Matthæi 26.

ET factum est postquam sederunt ad manducandum, accepit JESUS panem, & benedixit, & fregit, & dedit Discipulis suis, dicens: Accipite & manducate, hoc est corpus meum. 2. Deinde accepit Calicem, & benedixit, & dedit eis, dicens: Bibite ex illo omnes, quia hic est sanguis meus, Testamenti, &c.

Pro-

Prophetiæ.

I. *Recordetur* (Dominus) *omnis oblationis tuæ, & holocaustum tuum pingue fiat. Soelah.* Psal. 20. Ajunt nonnulli ad Messiam pertinere adducta verba, & bene. Advertendum solummodo est, Sacrificium & Holocaustum Messiæ, fore totô cælô diversum à sacrificio legali, siquidem, ut antè declaratum est, legalia sunt desitura. Aptè prætereà innuitur Sacrificium proprii Corporis, cùm dicitur: *Holocaustum tuum.* Nihil enim magìs est meum, corpore meô. II. *Tu es Sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedek.* Quemadmodum Melchisedeki sacrificium in tota sacra Scriptura non legitur aliud, quàm dum panem vinumque protulit, haud dubiè sacrificandi causâ; sic Messiam decuit hoc ipso ritu sacrificare. Huc attexenda est Mosis Concionatoris Authoritas, quam ubique apud Authores invenies. III. *Panem Angelorum manducavit homo.* Psal. 78. Ut perspiciatur Analogia primi, secundique Redemptoris, ad hanc etiam cibandi methodum attendamus. Quando Mose orante acceperunt manna filii Israël, quid illud rei esset, ignoraverunt; unde & nomen impositum: sic Messia cœnante cùm acciperent panem benedictum, nesciverunt quid esset Mysterii in illo, donec audiverunt dicentem: *Hoc est corpus meum.* Panem Mosaïcum scio ex Medrascha fuisse panem immutatum, quod nempe ad gustum & olfactum spectat: Panem Messiacum majore miraculo oportet mutatum esse, quod pertinet ad substantiam. Majorum enim miraculorum absque controversia est Messias, patrator, quàm Moses.

Denique Mosis & Messiæ panis adhuc in sequentibus conveniunt: uterque cœlô delapsus est, utrumque manducaverunt solùm illi qui legem acceperunt, uterque res mira ac præter naturæ ordinem fuit.

CAPUT XXXIV.

Matthæi 26.

TUnc accesserunt, & miserunt manus in JESUM, & tenuerunt ipsum, tunc discipuli omnes dereliquerunt eum, & fugerunt.

Prophetiæ.

I. *Quare fremuerunt gentes? &c.* Materia psalmi, est Judæorum, aliarumque gentium Christo inimicarum consultatio, & Machinæ, ad elidendum Ejus doctrinam. II. *Spiritus narium nostrarum, Messias Domini captus est ob peccata eorum.* Echa sive lament. 4. c. Josiam heic defleri ab Jeremia quorundam est opinio, quæ tamen facilè refellitur ex eo, quòd tribulationes & miseriæ, post Josiæ mortem populo Israëlitico à vindice Deo immissæ, Argumentum sint lamentationis ejusdem Prophetæ, non verò quæ præcessêre calamitates; veluti ex totius capitis continuata narratione liquere potest, & probat Aben Esra. Nec rursum admittenda est illorum opinio, qui Sedeciam hic designari volunt; quoniam vix persuaseris alicui, sub ejus umbra inter populos vixisse Israëlem, sicut hic de Messiæ Domini umbra dicitur; cùm valde fuerit impius, nullaque habuerit apud DEUM merita, quorum intuitu protectionem, sive umbram subditis ejus concessisset. Adi capitula extrema Regum, & Chronicorum, invenieſque Sedeciam noluisse subjici Jeremiæ Prophetæ vaticinanti ex ore DEI; cohortantique ut redeat. Præter morem quoque næniorum, maximè sacrorum est, hominem qui nulli dum viveret, bono charus fuit, cum exaggeratione tanta spiritum narium, h. e. vitam suam, animamque suam appellare. Quodcirca de Messia Filio David, ajo intelligendum Vatem, qui vaticinia miscens Historiæ (quod non esse insolitum, Targumicæ ostendent Expositiones) per transcursum ista inseruit. III. *Percute pastorem, & dispergentur oves.* R. Salomon pastoris nomine capit Regem Moab improbum. Hic enimverò

verò nullatenùs perspicere valeo Expositoris hujus rationes. Nam si percutiendus est Moab, grex fidelium quî dispergetur? Arbitror ego, hoste, hostiumque principe percusso, populum, qui dispersus fuerat, in patriam esse congregandum. Adhibet quidem huic inconsequentiæ medicinam Salomon, dum vocabulum *dispergetur*, idem dicit esse, ac, *liberabitur* à vinculis, & jugo, ut liberè hinc inde circumire detur. Sed etsi non negem *Patza*, Hebraicè, esse, aperire, liberum dare exitum; hoc tamen locô, ubi servanda est similitudo ovium, & pastoris, aptiùs significat dispersionem. Sic enim accidit, ut absente pastore, grex insultibus pateat, & à lupis fugitivus agatur. Si ad mentem Salomonis legendum esset: *& liberabitur grex*; legendum pariter esset: *percute lanium.* Hic enim gregem custodit ad macellum; pastor verò ad vitam. Itaque cùm aliunde præsens capitulum 13. Zachariæ ab Abrahamo Ezrade, & aliis ad Messiæ tempora referatur; non incongruè dico, per pastorem capiendum esse Messiam, per oves Discipulos Messiæ. Aut, ut Judæis dem aliquid: accipiant hæc Zachariæ verba, adagii aut proverbii locò, quæ semper adaptari possint fugæ famulorum, & subditorum; dum percutitur Dominus; Sed mihi non negent pertinaciter id, quod Jalkut habet: Messiam carceri esse mancipandum. Interim considerato pro dispersione stare Paraphrasten.

CAPUT XXXV.

Matthæi 26.

TUnc exspuerunt in faciem ejus, & percusserunt illum arundine, & alii posuerunt manus super faciem ejus, dicentes: Vaticinare nobis Messia, quis est, qui te percussit?

Prophetiæ.

I. *Dominus DEUS dedit mihi linguam exercitatam, ut scirem loqui opportunè, & refovere eum, qui fessi instar sitit Doctrinam.* Isa. 50. Sequitur: *Dominus DEUS aperuit mihi aurem, & ego non recalcitravi, non repugnavi. Dorsum meum dedi percutienti-*

tientibus, & genas meas vellentibus, faciem meam non abscondi, &c. Tantummodò DEUS sit adjutor meus. Usque ad finem verba sunt primæ personæ, & sicut à prima persona incipit caput, sic in prima finit. Initium esse ex persona DEI, fatentur Rabbini; finem nemo sanus negaverit esse quoque DEI verba loquentis: *DE manu mea factum est hoc vobis.* Si enim loqueretur Propheta; diceret: Per manum meam, vel in manu mea; sicut habet Prophetica consuetudo. Aut ergo postrema cohærent cum mediis; & tunc idem est, qui dorsum dedit percutientibus, & reliqua sustinuit, cum eo, qui dicit: *De manu mea, &c.* Dominus nempe Prophetarum Messias DEUS. Aut in toto capite, unicâ personæ primæ Hypotyposi descripto, fæda multarum personarum Mimesis post tertium quemque versum est facienda, ut fecit quidem Jonathan; sed à posterioribus Rabbinis in hoc desertus fuit. Hic unguem demorde. II. *Omnes videntes me, deriserunt me; distorserunt labia, moverunt caput.* Messias loquitur, ut alibi dictum. III. *Nunc circumdabere filia turmarum, vallum posuit circa nos. Virgâ cœdent super maxilla Judicem Israël.* Mich. 5. Prophetam de rebus Messiæ sermonem facere, testis est Kimchius, & in Pesikta magna nobis dicitur, Messiam cannâ percutiendum esse, capitique ejus impositum iri jugum septuaginta Regnorum, h. e. Orbis universi. Quærit etiam Magister Salomon, unde hostibus Judæorum tanta potentia, gerendarumque rerum successus adeò insignes dati sint? & respondet, id factum propter eorundem Judæorum nequitiam, qui Prophetas suos subsannaverunt. Si ergo Prophetarum suorum honorem acerrimè ultus est DEUS; Messiæ sui honorem, qui hic sub nomine Judicis Israël designatur, teste Abrahamo Ezræ, certissimè ultus est, quando turmis Titi, Urbem circumdedit, valloque & obsidione Jerosolymas cinxit, ac tandem delevit.

CA-

CAPUT XXXVI.

Matthæi 27.

ET JESUS ſtetit coram Præſide, & interrogavit eum Præſes dicens: Nunquid tu es Rex Judæorum? Et dixit ei Jeſus: Tu dicis. Et dum calumniis eum onerarent capita Sacerdotum, & ſeniores, non reſpondit eis quidquam. Tunc dixit ei Pilatus: non audîſti teſtimonia quæ adferunt contra te? Et ipſe non reſpondit ei quidquam, nè verbum quidem, &c. Et in die feſto, fuit moris, quòd Præſes dimiſerit populo vinctum unum, quem voluiſſent. Et tunc fuit apud eum vinctus quidam Prædo, qui vocabatur: Bar Rabba. Et cùm fuiſſent congregati dixit ad eos Pilatus: Quem vultis ut dimittam vobis, Bar Rabba, vel Jeſum? &c. Tunc dimiſit eis Bar Rabba Prædonem, & Jeſum tradidit ipſis, virgis caſtigandum, & crucifigendum.

Prophetiæ.

I. *Et non aperiet os ſuum, ſicut ovis ad occiſionem ducetur, & ſicut bidens coram tonſoribus ſuis obmuteſcens, & non aperiet os ſuum.* Jam alibi inſinuatum eſt, hoc Iſaiæ capite Meſſiam deſcribi. Unde ex illo continuabo Prophetias huc pertinentes. II. *Et cum iniquis compoſitus eſt.* III. *Ex Anguſtia, & judicio ſublatus eſt.* Vult dicere; eum anguſtiatum fuiſſe, & oppreſſum judiciô iniquô, ex quo tamen DEUS eum eripuerit, veluti in decurſu oſtendam. Et quæ judicii major perverſio fingi poteſt? quàm dimiſiſſe Bar Rabba, & condemnâſſe JESUM.

CAPUT XXXVII.

Matthæi 27.

TUnc ſatellites Præſidis acceperunt Jeſum, & congregaverunt ad eum totam cohortem, & detexerunt eum, & circumdederunt palliô coccineô, & cinxerunt caput Ejus ſpinis, per modum coronæ, &c. Et venerunt ad locum, qui vocatur Calvaria,

& dederunt ei vinum Myrrhatum, &c. Et postquam crucifixerunt eum, diviserunt vestimenta ejus; & miserunt sortem.

Prophetiæ.

I. *Et erit Principatus super humerum Ejus.* Cùm constituerim Hebraïcô more in verbis ludere, & machinas omnes in suos torquere Authores, commodùm hoc loco vocem Mesirah. h. e. Principatum, invertendam arbitratus, feci: Mehasir. h. e. Ex Spina; ut intelligeres Messiam Principem, Spinas coronæ locô, gestaturum. Talis profectò fuit Jesus Princeps, in humero crucem, in capite coronam habens Spineam. Sed & egregiam in R. Salomone repertam, atque ad præsens negotium eximiè facientem expositionem, super verba Cantici Canticorum: *Egredimini filiæ Sion, & videte Regem in Diademate, quô coronavit eum Mater sua*, nequeo præterire. Mater, inquit, DEI Benedicti vocatur Ecclesia Israël; quippe DEUS, Regis cujusdam instar, cui unica, unicéque dilecta est filia; præ amoris magnitudine, illam jam filiam, jam sororem, jam Matrem suam appellat; veluti cùm dicit: *Audite me populo meus, & Mater mea ad me advertite* (Hebraïcè doctus deprehendet Paronomasiam in vocibus Lumi, & Ammi) Coronâsti igitur O Synagoga! Regem tuum! At quâ coronâ? Audi ipsummet loquentem: *Quare exspectavi ut faceret uvas, & fecit spinas.* Sic enim ex Aben Esra super Jobum c. 31. hic locus exponendus est. Spinas fecisti, quando DEUM Messiam coronâsti. II. *Foderunt manus meas, & pedes meos.* Biblia hodierna scribunt: *Sicut Leo* manus meæ; sed nihil refert hæc scriptura; nam ipsa Masora jubet nos legere: *foderunt.* Suntque plures ejusmodi voces Hebreæ, quæ aliter scriptæ sunt, ac legantur. Adde nec Grammaticis quidem regulis, defendi posse hanc lectionem. Constans enim res est, si legeretur *Sicut Leo*, literam Kaph servilem Patachandam fuisse; cùm tamen Kametzata sit; & ideô alicubi habetur: Karu cum Aleph in medio, non Kaari. Quod verò crucifixionem Messiæ attinet, utar quæstione Jalkutîcâ super Psalmum primum. Cur dixit David: *Beatus vir, qui non ambulavit? &c.*

Num-

Numquid dicere poterat? Maledictus vir qui ambulavit &c. Respondeo, Mysterium grande Religioso literarum vocumque ordine concluſit Vates. En tibi illud: *Aſchre hoiſch aſcher lo holach baatzath* Reſchoim. Nullâ invariatâ literâ, ſed unâ tantùm tranſpoſitâ, prodit ſequens contextus: *Aſchir hoiſch aſcher loo lecho beetz.* Canam virum qui pro te paſſus eſt in ligno. Si addas figuram literæ Tov, ad ſignificandum crucem, aut ſaltèm cruci ſuccedentem hodie furcam, habes Myſterii apicem. Huc revocantur illa: *Dedit in mortem animam ſuam.* Item *Sion in Judicio Redimetur.* h. e. Rei erant Suſpendii Iſraëlitæ, ſed DEUS redemit eos. *In Judicio*, quando Sententiam Suſpendii tranſtulit in Meſſiam. III. *Diviſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem.* Vide Jalkut Jerem. 31.

CAPUT XXXVIII.

Matthæi 27.

ET Jeſus clamavit adhuc voce magnâ, & reddidit Spiritum, &c. Et terra tremuit, & petræ ruptæ ſunt, & ſepulchra aperta, & multa corpora Sanctorum, quæ jacuerant, ſurrexerunt.

Prophetiæ.

I. *DEUS meus, DEUS meus! quare me dereliquiſti? &c. DEUS meus clamabo totâ die, & non exaudies, &c.* JEſum in hæc exclamâſſe verba narrat Matthæus, & concinit militum Romanorum error, qui audientes vocem Eli, crediderunt Eliam advocari. II. *Terra tremuit, etiam cœli diffluxerunt.* Pſal. 68. Etſi de prima ſub Moſe redemptione intelligendus eſt pſalmus; de ſecunda tamen accipi quoque debet; cùm, ut ſæpè diximus, Magiſtri in hoc unanimiter conveniant: hanc illi analogam futuram. III. *Et multi ex dormientibus in pulvere evigilabunt.* Hunc Danielis textum de reſurrectione mortuorum exponit R. Saadias Gaon, & R. Joſeph Albo in libro Ikarim c. 3. Tractatûs 4ti ait: Quatuor diverſa tempora ſtatuenda eſſe, quibus præmia bonis diſtribuentur. Mundi

hujus

hujus tempus pro illis bonis, qui plus habent iniquitatis, quàm Justitiæ. Mundi venturi tempus pro Justis; idque sive ante, sive post resurrectionem; at post mortem tamen; sæculum enim illud incipit mox ac mortuus fuerit homo. Tertium tempus: dies Messiæ, & quartum: Resurrectio. Pergit deinde, & docet in singulis valde diversa esse præmia, fierique posse ut unns homo omnium quatuor sit particeps; ut puta, si sit justus perfectus. Capite 38. Explicat versum ex Daniele: *Et tu vade usque ad finem, & requiesces, & surges in sortem tuam, in fine dierum.* Primò finis iste est incognitus; certum verò est hic designari finem Redemptionis. *Et Requiesces.* Id est: morieris ante hunc finem. Deinde: *surges in sortem tuam.* Erit enim tempore Messiæ Resurrectio quædam, pro justis perfectis tantùm, qui tunc surgent ad perhibendum testimonium Messiæ, & propalandam in Mundo fidem DEI. Sicque optimè concinit hæc Doctrina cum Evangelio, in quo multi, non omnes, qui dormierunt, dicuntur suscitati.

CAPUT XXXIX.

Matthæi 28.

ET Vespere Sabbathi illuscentis ad primam Sabbathi, h. e. die primâ post Sabbathum exoriente, *venit Maria Magdalena, & Maria altera videre Sepulchrum, & ecce fuit commotio magna, quia Angelus Domini descendit de cœlo, & accessit, & revolvit lapidem ab ostio, & sedit super eum, &c. Et respondit Angelus, & dixit mulieribus: Nè timueritis vos, scio enim à vobis JEsum quæri. Non est hîc, surrexit enim, prout dixit, &c.*

Prophetiæ.

I. *Ego hodie genui te.* Audiamus quid Pesikta magna nobis proponat. *Ego*, inquit, *creo Messiam, creatione novâ, nè amplius subjaceat cruciatibus, & plagis, sicut ad hanc diem illis subjectus fuit.* Et ideò: *hodie Genui Te.* II. *Et erit, requies Ejus, gloria.* Isa. 11. Requies in Sepulchro. *Postquam enim surre-*

surrexit, aliquot lustris pòst, venit Helena Regina, & ædificavit Templum magnificum in loco quietis, & sepulturæ Ejus. Hæc expositio verbotenus sumpta est ex Targum. III. *In pace simul cubabo & dormiam, quia tu Domine solus in spe reduces me.* Psal. 4. Si scire cupis de quanam cubatione sermo sit Psalmistæ, ascende ad Psalmum tertium, ubi ait: *Ego dormivi, & soporatus sum, & exurrexi, quia Dominus sustentavit me.* Medrascha Psalmi hujus addit: Sustentavit me per Messiam. Ex hoc textu eruditè colligunt viri Scripturæ: Messiam, Davidis fore suscitatorem. Ergóne qui alium suscitat, ipse non suscitabit se? Absit. Ideò enim juxta Medrascham Psal. 93. Messias vocatur *Inon*, quia ipsius officium est, ut *crescere* faciat omnes dormientes in terræ pulvere, sicut crescit ex terra gramen. *Florebunt de civitate Domini.* Auctorem resurrectionis Messiam venerare, & Primogenitum ex mortuis confitere.

CAPUT XL.

Matthæi 28.

ET undecim Discipuli abierunt in Galilæam, ad montem quem condixerat eis JESUS, & viderunt ipsum, & adoraverunt, &c. Et videntibus illis elevatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum ad cœlum. Et cùm viderent eum, euntem ad cœlum, ecce duo viri adstiterunt in vestibus albis, qui dixerunt: Quid statis, & aspicitis cœlum? Iste JESUS sic veniet, sicut vidistis illum euntem in cœlum. Hæc in Complementum ex Actis desumpta sunt Apostolicis.

Prophetiæ.

I. *Fiderunt* (muros) *& transiverunt portam, & egressi sunt per eam, & transivit Rex eorum, & Dominus in capite eorum.* Micheæ 2. Notum est ex Targumica adnotatione versum hunc consolatorium esse, & felix illud Messiæ Ævum respicere, quô Justi in vitam æternam intraturi sunt, duce eodem Messiâ; Hæc enim celebrior multò est, & humano generi utilior, quàm prætensa invasio urbium inimicarum. Simile quid habetur

betur in Deraschicis : *Poretz*, h. e. findens ille, est Elias. Malchom, h. e. Rex eorum, est Germen Filius David. Possunt ergo omnia in hunc ordinem redigi : *Surgite, ite, quia non est hæc requies.* Sunt verba Angelorum ad Justos ; queis ostendunt nullam in hac terra securam esse quietem, quia inquiunt : *Commaculata est sceleribus Incolarum suorum.* Ecce quàm sedulò avocamur à temporali Triumpho, & ingressu in Provincias cum Pompa, ad ingressum vitæ æternæ. *Congregans congregabo ait Dominus reliquias Jacob*, qui scripti sunt in libro vitæ, ut Isaias prædixit. Neque insolens est Scripturæ, per terram, Beatitudinem significare perpetuam, cùm in Isaiæ 49. capite, ubi legitur : *Ad erigendam terram*, Chaldæus habeat : Ad suscitandos Justos ex pulvere ad vitam. 2. II. *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, &c.* Acutè observant Mythici Judæorum, in quodam Psalmo scriptum esse : Calicem salutarium accipiam, non singulari numero : Calicem salutaris ; Quia, inquiunt, salutare unum, Messiæ tempore, alterum, tempore Gog, & Magog. Bene distinguitur salus per messiam afferenda in primo adventu ante Magog, ab illa, quam idem Messias afferet, occidendo Magog ; nam ex hoc colligitur primò passurum, & deinde à dextris Patris sessurum, donec subjiciat pedibus suis inimicos suos. Hoc Testimonium Rabbinicum bene est notandum, stabilit enim duplicem adventum Messiæ. III. *Et ecce cum nubibus cœli aliquis Hominis Filio similimus venit.* Cum nube ascendit, cum nube veniet, *& merces ejus cum eo.*

CAPUT XLI.

HActenùs Evangelium novum, cum veteri, ut ità dicam, Evangelio, & Prophetico, quantùm DEUS dedit combinavimus. Sæpè eadem verba ex altero ad alterum translata vidisti Lector, & ut puto admiratus es insignem adeò Harmoniam. Sed admiratio ista te velim eo usque perducat, ut credas DEUM utrobique locutum fuisse. Selegi autem potissimùm Matthæi Evangelium, quia videlicet Hebraicè scriptum in

in manibus erat. Non illud Munsteri, sed antiquius eô, in Vaticana Bibliotheca repertum, & Parisiis Typis datum. Supereſt jam, plenum ut exhibeam Syſtema Doctrinæ Rabbinicæ circa adventum Meſſiæ. Nam quamvis Fragmenta Teſtimoniorum Hebraicorum in ſingulis Prophetiis intexuerim; longè tamen aliud eſt arguere contra Judæos decerptim, & ad inconveniens, ut loquimur, contradictionemque cogendo, quàm corpus ipſum Doctrinæ deſtruere. Non pauciora certè Prophetarum Teſtimonia illi habent pro ſuo Syſtemate, quàm nos pro noſtro. Opùs igitur eſt: Axiomata corruptæ jam inde à Phariſæis Synagogæ, ſingulis Prophetiis ex quibus illa ſe hauſiſſe præſeferunt, debitô ordine Prophetarum ſervatô, præfigantur; & breves quantùm fieri poterit Reſponſiones, etiam ad majorem apud Judæos faciendam vim, ex Talmude & Mikra, ſubjungantur.

SYNOPSIS DOCTRINÆ RABBINICÆ.

AXIOMA I.

Meſſias venturus eſt, extremis Mundi temporibus.

HAbetur in Iſaia: *Et erit in* fine dierum, *præparatus erit mons Domûs Domini in vertice montium.* Radak: ubicunque legeris in fine dierum, dies Meſſiæ intelligito. Atqui JESUS non venit extremis temporibus. Ergo.

RESPONSIO.

Per tempora extrema, non ſunt accipienda præcisè tempora omnium, & omninò extrema; ſed quoniam Mundi tempus in tres veluti partes ſecatur, quarum quælibet duos continet millenarios, ultimi millenarii duo, Meſſiæ adſcribendi ſunt. Habetur in Thalmude ex traditione D. Eliæ. Atqui JESUS venit ſub illa tempora. Ergo. Id verò quod

nonnulli ex vulgo fingunt de monte Domûs Domini: fore nempe ut ei superimponatur Sinai, Carmel, & Thabor, sicque elevetur super omnes alios montes; non eget responsione; postquam R. Salomon ipse, Allegoricam huic dicto expositionem invenit, asserens: tantam fore illius montis dignitatem, quanta Carmeli, Thaboris, & Sinai fuit, quia tanta, imò majora in eo patranda sunt miracula. Quod quàm reapse factum fuerit, ostendunt Evangelia, & Apostolorum res Gestæ.

AXIOMA II.

Post adventum Messiæ cessabunt bella.

Habetur in Isaia: *Et conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces, & non levabit gens contra gentem gladium, & non exercebuntur ultrà ad prælium.* Atqui post JEsum aucta sunt bella. Ergo.

RESPONSIO.

Si exortum fuerit bellum inter Gentem & Gentem, aut controversia aliqua; decidenda illa erit juxta legem Messiæ; qui universorum est Dominus. Absque dubio autem lex Messiæ præcipiet abstinere ab injuriis, resarcire damna injustè illata, & insuper quædam alia paci conservandæ summè accommoda, v. g. Inimicorum dilectionem, temporalium bonorum jacturam ob bonum pacis, injuriarum tolerantiam, & si quæ sunt hujusmodi: quibus observatis, impossibile est bella emergere, aut si emerserint, diu protrahi. Talis ergò rerum status futurus prædicitur. Quòd verò præcepta hæc ab hominibus negligantur aliquando, mirum non est, nam & Divina præcepta Decalogi antehac promulgata, multis modis iidem homines, quibus data sunt, infregerunt. Neque alicubi Isaias dicit, neminem Messiæ leges esse transgressurum. Atque ideò hæc verba, *conflabunt, non levabit, &c.* cum exceptione sunt accipienda, si Messiam audire voluerint. Sicut scriptum est Jerem. 18. *Et subitò loquar de Gente, & Regno, ut ædificem & plantem illud. Si fecerit malum in oculis meis, ut*

non

non audiat vocem meam, pœnitentiam agam super bono, quod locutus sum, ut facerem ei. Vult DEUS pacem, sed ut faciant homines quod ipse vult. Nunquam sanè tot modos conservandæ pacis nobis suggessit Divina Majestas, quot per JESUM. Ergo. Hæc paucis mutatis, desumpta sunt ex Radakio.

AXIOMA III.

Feræ noxiæ non inferent tunc damna ulla.

Habetur in Isaia: *Et habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit, & vitulus & leo pascentur simul.* Atqui tempore JESU feræ omnes retinuerunt suam feritatem. Ergò.

RESPONSIO.

Ad prærecitatum Isaiæ Vaticinium, dicunt nonnulli Nazaræorum, & Judæorum: omnia Metaphoricè, sive, ut ipsi loquuntur, Derech Maschal, intelligenda esse, & lupi, pardi, leonisque nominibus designari impios, qui agnos, hœdos, & vitulos, hoc est: Homines mites, pauperes & debiles, non aliter ac prædatrices feræ, consueverunt dilaniare; illos ipsos tamen impios cùm Messias venerit, adeò affectiones suas mutaturos, ut nihil porrò ab ipsis timendum sit. Sed hæc explicatio non accedit satis ad sensum Prophetæ, qui planè & literaliter hic loqui videtur, propter ea quæ v. ultimo c. 65. dicuntur. Innuit enim reverà feras, feritatis oblitas, non esse nocituras Messiæ sequacibus; aut pecoribus eorum. Quocircà adhæreo R. Davidi, & ajo: Prophetam consolari Servos Messiæ, & eis prædicere, nullam imposterùm bestiam ferocem quidquam timendam esse, dummodò servent verbum, & fidem ejus; hoc enim ostendit causalis immediatè subjecta: *Quia repleta est terra, scientiâ Domini.* H. e. Siquidem boni fuerint, meque agnoverint, nec ipsis, nec rebus ipsorum, feræ malæ nocebunt. Atqui sic factum est, cùm Discipuli JESU feris objicerentur, ut fama ipsa loquitur, & multi eorum in Eremo feras pro jumentis habuerunt. Ergo. *Et delectabitur infans ab ubere, super foramine Aspidis.* H. e. Messiæ Discipuli,

qui instar infantûm, innocentiâ eminent, serpentes, & alia venenata animantia elident. Vide Gesta Apostolorum.

AXIOMA IV.

Tempore Messiæ Judæi ex toto Orbe colligentur, & prædabuntur alias Nationes. Sicut factum est in Egressu ex Ægypto, sic fiet tunc.

Habetur quoque Isaiæ 11. his verbis : *Et erit in die illa, addet Dominus secundò manum suam, ad possidendum residuum Populi sui, quod supererit ex Assur, & ex Ægypto, & ex Patros, &c. Et elevabit signum Gentibus, & congregabit expulsos Israël, &c. Et ad Philistæos ad Occidentem properabunt, & ad Mare, & unà devincent Orientales, & Edom & Moab erunt in manibus eorum, &c. Et exsiccabit Dominus linguam Maris Ægyptiaci, & ponet manum suam super Euphratem in vento suo valido, & percutiet eum, & separabit in septem fluvios diversos, & ducet Populum suum in calceis per eum. Et erit semita residuo Populi superstiti ex Assur, sicut fuit in die, qua egressus est Israël ex Ægypto.*

RESPONSIO.

Adducti Vaticinii puncta omnia implenda sunt tempore Gog, & Magog. Nam posteaquam dejecerit Dominus DEUS Gentes illas in infernum, seriâ perfectaque pœnitentiâ ducentur Judæi, agnoscentesque Messiam, JESUM Nazarenum, ascendent in Palæstinam, visum, quæ stupenda ibi patraverit DEUS, manebuntque in terra Israël usque ad Mundi finem; cantaturi canticum sequens : *Confitebor tibi Domine quia iratus es quidem mihi, sed non reliquisti me in captivitate, sicut peccata mea poscebant.* Sunt verba Kimchii. Atqui JESUS causa est præsentis captivitatis, JESUS inquam non receptus, ergo ipsius negatio est illud grande peccatum ob quod iratus est DEUS, & ipsius confessio, eximia illa pœnitentia, quâ duce redibunt in patriam. Nec diffiteor plurimas Urbes ac Provincias tunc à Judæis implendas esse, cùm certum sit fideles ex Gentibus exiguò fore numerò, & maximam partem à persecutione esse devo-

devorandos, Gentes autem Idololatras à DEO delendas, ut noſter prædixit Johannes, qui & addit Eliam in plateis Jeruſalem clamaturum, & Filios Iſraël ad Patrum ſuorum, qui in JESUM crediderunt, fidem, eſſe reducturum. Hæc Reſponſio multis firmanda eſt Argumentis. Paulò antè oſtendimus duplicem Meſſiæ eſſe adventum, propter vocabulum: *Salutaria*, in plurali. Recurre illuc. Oſtendimus etiam illum occidendum eſſe; & poſt mortem magnâ afficiendum gloriâ, ità ut ſeſſurus ſit ad dextram DEI, donec ſubjiciat ſibi inimicos ſuos. Hæc omnia clara ſunt, & explorata. Ergo qui in eum crediderint ſalvabuntur, hoſtes autem exterminabuntur. Et hoc certiſſimum. Jam adverte ad ſequentia: Judæi, inquis, ſalvabuntur, & adfers Teſtimonium Propheticum. Quid ſupereſt dicere? quàm Judæi credent in Meſſiam. Sed Sermo Propheticus dicit: Judæi negabunt Meſſiam. Vide noſtras Prophetias. Quis autem & negat, & credit ſimul? Nemo ſanè. Negabunt itaque priùs, credent poſteriùs, & qui eis cauſavit captivitatem crucifixus, cauſabit gloriam, glorioſus. Ex hoc tamen minimè ſequitur, Judæum, qui hoc tempore, Gogum antecedente, credit, continuò reduci ad Patriam debere. Nam reductio eſt bonum Populi, non hominis privati. Talis verò reducitur ad Vitam æternam, de qua reductione ſæpè loquuntur Prophetæ. Iſaias: *Ecce ego creo Cœlos novos, & Terram novam, &c. Lætabuntur & exultabunt in ſæculum ſæculi.* Si de Terra Iſraël & Urbe Jeroſolyma tantùm loquitur, impoſſibile eſt in ea lætari æternùm. Inſuper nisi Cœli qui nunc ſunt, & Terra quæ nunc eſt, pereant, quomodo creandi ſunt Cœli novi, & Terra nova? Quodſi pereunt, jam non eſt Mundus iſte, & Sæculum præſens, ſed Mundus alter, & venturum Sæculum. Et tenet Argumentum, ut Scholæ dicunt, etiam in Scholis, quæ non perituros, ſed clariùs micaturos Cœlos dicunt. Idem Iſaias c. 16. ait: *Non erit tibi ampliùs Sol in lucem de die, & in ſplendorem nocturnum non illuceſcet Luna tibi. Quia Dominus erit tibi in Lucem æternam.* Dico: hoc non poſſe explicari de ulla Terra vel hæreditate hujus Mundi; nam Lunâ & Sole deficientibus, deficit Mundi hujus motus,

qui

qui ab istis luminaribus multùm dependet, caloris, & quarundam aliarum affectionum ergô. Adhuc Isaias inquit : *Regem in decore suo videbunt* ; Quod rursus in hoc rerum statu certum est non esse eventurum, quia : *Non videbit me homo, & vivet.* Ex his conficitur: Civitatem illam, in qua Splendorem *Schinæ* Divinæ mortales contemplabuntur, non esse Jerosolymam Palæstinæ, in qua Populus Israël sub temporum extrema congregabitur; sed Vitam æternam, in quam intrabunt Justi ad fidem ante illa tempora conversi, sicut scriptum est : *Et Redempti Domini, sive à Domino, revertentur, & venient in Sion cum cantico.* R. Moses Concionator in Bereschit Rabba c. 67. Non est Sion aliud, quàm Paradisus. Summa eorum quæ nunc dixi est : Quosdam, qui nempe ante tempora postrema ad JESUM conversi fuerint, venturos in Sion æternam, reliquos qui tunc in orbis totius consummatione victuri sunt, etiam ad Sion temporalem & terrestrem perventuros esse, paucis, ut opinor, annis ante Judicium. Alterum pro hac Responsione Argumentum ex ore ipsorummet adversariorum desumitur ; ajunt enim, ut aliàs ostendi, bis tantùm hæreditatem Palæstinæ sibi adeundam esse ; ergo hæc tertia, quam ex Prophetis tantopere urgent post Gogi & Magogi excidium, nulla est, vel quod verisimilius judico, non est ampliùs Judæorum, sed jam Christianorum, h. e. in Messiam credentium hæreditas. Huc pertinet Scriptura Isaiæ : *Abi Populemi, intra in conclavia tua.* Radak: *Revertere per pœnitentiam, & opera bona in Terram tuam.* In libro Tanchuma proximus textus aliter exponitur; sic enim lego : *Scrutare opera tua in conclavi cordis tui, qua nempe ex causa venerit tibi captivitas ista.* Si propter JESUM, ut quidam tuorum asserunt; rursùs quæro, an propter JESUM justè vel injustè occisum ? Justè non ; quia pro Justitia præmium datur, uti videmus in Phinea, qui Israëlitam libidini vacantem occidit. Injustè igitur. Scrutare opera tua, & si quidem liberari vis ex captivitate Populemi, sicut fuisti spina Messiæ tuo, sic esto vinea electa ferens fructum bonum Redemptori denuò ad te venienti. Dominus namque DEUS tuus, ut Magister Salomon ait : Non vult totaliter destruere

ſtruere te ; ſed vindicat crimina proportione ſervatâ, menſuram reddit pro menſura. Tu impoſuiſti coronam Meſſiæ, gravem utique, quia ludicram, & ſpineam. DEUS impoſuit capiti tuo jugum gentium. Et ità porrò. Sit jam pœnitentia tua ità conſtituta, ut proportionem habeat ad delicta tua. Negâſti, confitere: illuſiſti, adora, &c. Hæc ſi feceris, quæ ex 27 Iſaiæ deſumpſi capite, fiet tibi quod ſubjungitur ibidem: *Expiabitur iniquitas Jacob.* Quamvis enim plures habeas iniquitates, Chriſticidium tamen potiſſimum eſt. Chriſticidium, inquam, non cultus Aſcherim, & Chammonim Idolorum, de quibus nunc nè cogitas quidem. Nec ſtante Templò ſecundò Idololatriam unquam exercuiſti. Si totum hoc caput ad præſentem ſtatum pertinet, & liberationem promittit à Gog, & Magog, ut Kimchius tuus inquit; ſcrutare opera tua, & ſedulò inquire, quæ iniquitatum tuarum maxima ſit; & cùm adoratio ſtatuarum apud te non ſit, nec à reditu Babylonico fuerit, interroga Majemonidem, & dicet tibi : JESUS cauſavit nobis captivitatem hanc. JESUS autem, propriè nec per ſe, nec per ſuos. Ethnici enim Romani JESU contemptores, vaſtârunt te. JESUS verò Meſſias, quia eum occidiſti. *Et idcircò Urbs*, pergit Iſaias, *quæ fuit munimentum, deſeretur. Et quæ fuit delectatio habitantium, inſtar deſerti jacebit.* Et adhuc non intelligunt Iſraëlitæ. Nam ſi eſſent Populus intelligentiæ, ut ait Radak, inveſtigarent cauſas malorum ſuorum, deprehenderentque, omnia eis adverſa accidiſſe ideò, quia dereliquerunt Dominum. *Idcircò non miſerebor eorum.* Verùm quid dico ? Miſericordiæ recordatur, cùm iraſcitur. Dicit itaque : *Colliget Dominus Iſraëlem à catarractis Euphratis uſque ad catarractas Nili. Et vos congregabimini unus unus.* H. e. pauci, & ex diſſitis locis, jam hîc, jam ibi unus convertemini ad JESUM, uſque dum Buccinâ dederit ſonitum Elias, poſt necem Gog & Magog, venientque qui perierant in terra, & adorabunt Dominum in Monte Sancto in Jeruſalem. Hactenùs ex Iſaiæ Vaticinio oſtendi certò redituros adhuc ſemel in Patriam eſſe Judæos ; juxta quod Vaticinium, & datum illi à nobis ſenſum, omnia ſunt exponenda, quæ de reductione Populi

sui scribunt Rabbini. Quamvis multa ex illis de reditu Babyloneo explicari possint, ut demonstrat Albo tract. 4. c. 42. & colligitur ex Isaiæ 48. Nosque quorundam faciemus mentionem.

AXIOMA V.

Reges aliarum Gentium erunt Judæorum Nutritii, & Bajuli.

Habetur in Isaia : *Et erunt Reges Nutritii tui, &c.*

RESPONSIO.

Prophetia impleta est in Juda reduce Babyloniâ, qui Beneficiò Regum Persicorum quasi nutritus, & sufficienti commeatu, curribusque, ac aliis necessariis instructus, in Patriam remissus est. Vide Albonem ubi suprà.

AXIOMA VI.

Tres Captivitates præcedere debent Adventum Messiæ.

Habetur Isaiæ 52. Nam ità ait Dominus : *Gratis venumdati estis, & sinè argento redimemini* ; Quia sic dicit Dominus DEUS : *In Ægyptum descendit Populus meus primò, ut hospitaretur ibi, & iterùm Assur frustra afflixit eum.* Et nunc quid est mihi hîc? dicit Dominus, *quia Populus meus translatus est gratis, Dominatores ejus gravârunt eum laboribus* dicit Dominus, *& continuè totâ die nomen meum blasphematur. In Ægyptum descendit Populus meus.* En primam captivitatem. *Et Assur frustra afflixit eum.* En secundam. *Et nunc quid est mihi hîc?* En tertiam. Atqui JESUS venit ante tertiam captivitatem, & in tali tempore, quô necdum nomen DEI blasphemabatur: relinquebantur enim Judæi suis vivere ritibus, & nondum erat sublata autonomia, sicut posteà sæpè factum, & sub Gogo Magogoque terribiliter fiet. Ergo.

RESPONSIO

Tam facilè negatur, per illa verba : *Et nunc quid mihi hîc*, tertiam designari captivitatem, quàm facilè asseritur. Producant ergò aliud idoneum testimonium ad Axiomatis confirmationem. Deinde in Ægypto servitus fuit, non captivitas, quia Hebraïcum *Goluth*, quod latinè

tinè redditur captivitas, significat abductionem captivorum ex terra patria; qualis abductio non est facta, cùm primò Israël in Ægyptum descenderet. Unde ad Allegoriam transeo, & nè siccam videar dedisse Responsionem, ad aliud provocando Testimonium, ex R. Salomone facio talem Medrascham. *Gratìs venumdati estis.* Hoc est: propter opera mala, quæ vocantur gratìs facta, quia nullâ retributione digna sunt. Venumdati ergo estis propter *gratìs*; & incidistis in manus Assur. *Quis est Assur? Peccatum, concupiscentia mala, Diabolus illam excitans.* Sic lego in Commentariis Salomonis Joël 2. c. *Ab hoc Assur, sinè argento redimet vos,* Rex Messias. Unde autem constat DEUM à malo serpentis morsu, sive peccato, & concupiscentia liberaturum esse suos per Messiam? Ex Targum Jerosolymitano his verbis: Et erit, si filii mulieris exercuerint se in Lege, & fecerint Præcepta ejus, vincent te ô! serpens, & caput tuum ferient, & occident te; si verò dereliquerint Præcepta Legis, & non fecerint ea, tu vinces illos, & mordebis in talo; & nocebis eis. Nihilominus erit medicina filiis mulieris, tibi autem Bestia! non erit medicina. Nam illi invicem facient sibi emplastra, in fine dierum, tempore Messiæ, qui docebit eos, qualiter vulnus sanandum sit. Et hoc est quod dicit DEUS: *Nunc autem quid mihi hîc?* Sempérne tantùm liberabo corpora, & animas nunquam? Blasphemabitúrne adhuc nomen meum, quasi nequeam animæ mederi vulneratæ? Non erit hoc. *Sciet Populus meus nomen meum* Agnitio DEI vera, prima est Peccatorum Medela. *Et ecce ego qui loquebar,* ab initio cum Serpente Assur, prædicens ei interitum, *adsum.*

AXIOMA VII.

Post adventum Messiæ nulli amplius servituti, aut persecutioni subjiciendi sunt Judæi.

Habetur in eodem Isaiæ capite: *Non veniet in te* (in terram tuam) *amplius, incircumcisus, & immundus.* Ubi manifestè loquitur de Gentibus Judæorum vastatricibus. Hoc est testi-

monium suprà desideratum. Nam si post adventum Messiæ nulla ampliùs orietur persecutio Judaïcæ Gentis, & post JESUM orta est gravissima illa, in qua defactò gemius exstirpatio, ut ità dicam, & eradicatio Gentis nostræ; sequitur eum non fuisse Messiam; sed alium post tertiam hanc persecutionem, quæ sinè interruptione usque ad Gog, & Magog, continuanda est, venturum esse.

RESPONSIO.

Nihil nos cogit alium fingere Messiam, quàm JESUM, dummodo firma omnia maneant, quæ de duplici salute suprà retulimus. His enim innixi dicimus: JEsum salutem jam operatum esse, & sub Mundi finem Judæos, qui nunc hostes Ejus sunt, benignè esse respecturum, facturumque, ut salutem consequantur, & aliquamdiu in pace, & bonorum affluentia, vitæque sanctitate vitam Christianam degant in terra sua. Sed & hoc locò nequeo præterire Allegoriam, cùm valde utile sit, Judæis allegorias sæpè inculcare (tales tamen quæ apud ipsos reperiuntur) ut sensim ab interpretationibus, nimis carnalibus, abducantur. In Masechta, quæ Succa dicitur, super verba Zachariæ: *Et ostendit mihi Dominus quatuor fabros*, sic argutantur. Qui sunt illi quatuor fabri? Dixit R. Simeon Chasida: Filius David, filius Joseph, Messiæ: & Elias, & Cohen Zedek. de quibus in Cantico: *Frondes apparuerunt in terra nostra, tempus putationis advenit.* Sicut cùm adest tempus putationis, frondes præciduntur; sic cùm aderit tempus liberationis Israël, præcidetur præputium, sicut scriptũ est: *Et circumcidet Dominus cor tuum.* Sunt verba Hebræorum. Quamvis ergo post JEsum circumcisi perambulent terram Israël, & Gentes ad DEUM conversæ gestent præputium; Ipse tamen verus est Messias, propter annunciatam, oblatam, & impetratam nobis circumcisionem cordis. Si enim caro circumcisa spectaret ad numerum populi DEI, Turcæ hodiernâ die Palæstinæ Dominatores, meritò Israël à DEO in terram sanctam ductus, credi, & haberi possent.

AXIO-

AXIOMA VIII.

Messias habebit filios, hæredes Regni.

Habetur Isaiæ 53. *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen, producet dies.* Christiani totam hanc sectionem JESU suo applicant: quare, & hæc octo vocabula illi adaptent velim.

RESPONSIO.

Adapto certè, & quidem ex R. Salomone super illa verba: *Hæ sunt generationes Aaron & Mosis.* Deinde enumerantur filii Aaron, sinè ulla mentione filiorum Mosis. Numquid filii Aaron, sunt filii Mosis? Sunt, reponit R. Salomon, quia docuit eos. Atqui tales filios vidit JESUS. Ergo. Nec fieri potest, ut Messias hæredes Regni habeat; siquidem Regnum suum à nullo homine accipit, sed à Domino sibi dicente: *Postula à me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam fines terræ*, quibus verbis indicatur, eum esse ipsummet DEUM, Personâ solùm à Patre distinctum. Sicut igitur non possunt plures esse Dii, ità non possunt plures esse hæredes omnium rerum creatarum, & Mundi Domini.

AXIOMA IX.

Non abolebit Sacrificia Mosaïca.

Habetur in Isaia: Sic dicit Dominus Eunuchis, *qui custodierint Sabbata mea, & elegerint id, quod mihi placet; & fortes fuerint in pacto meo, dabo eis in domo mea, & muris meis, manum, & nomen*, &c. *Et adducam eos, ad Montem Sanctum meum, & exhilarabo eos in domo orationis meæ, holocausta eorum, & victimæ eorum, gratæ erunt super altare meum.* Atqui JESUS, ut aiunt Nazareni, finem imposuit victimis. Ergo.

RESPONSIO.

Ex eodem Isaia habetur pactum illud, in quo fortes futuri prædicuntur Eunuchi, esse pactum diversum à pacto primæ-

vo. *Et feriam vobiscum, dicit DEUS, Pactum æternum, Misericordias David fideles.* Pactum Misericordiæ, sive Gratiæ, non est Pactum Legis. Pactum Gratiæ non exigit servitutem duram, & copiam actionum, gratia enim est; & si quid exigit, quod grave videri possit, mirum in modum executionem facilem reddit. Lex & multa facienda præscribit, & non est sollicita de observatione facili reddenda. Legis enim natura est: jubere, punire. Qui bene intellexerit, quid inter gratiam intersit, & Legem, quæ utriusque natura: is sibi non difficulter persuadebit, fœdus gratiæ, vel misericordiæ, distingui à fœdere Legis. Ad hanc distinctionem respexerunt Magistri in Jelmamedenu dicentes: *Dominus solvit compeditos.* Priùs ligat homines diversis Præceptis, deinde solvit per gratiam, & quæ erant prohibita (intellige de pertinentibus ad Politiam Mosaïcam) licita declarat. Nec obstat, in Prophetia fieri mentionem holocaustorum & victimarum; est enim Synecdoche, speciei pro genere. Et Prophetæ Populo, his vocibus assueto, aliter loqui non valebant. Quod Sabbatum concernit, alibi fusiùs disputabo.

Nota: In Hebraïco hic quædam inserta sunt de pœnitentia, quæ concinnitatis causâ latinè reddam locô commodiore.

AXIOMA X.

Messias interficiet hostes Judæorum, & ulciscetur injurias Populo DEI illatas.

Habetur Isaiæ 59. *Et indutus est justitiâ ut loricâ, & galea salutis in capite ejus: Indutus est vestimentis ultionis, & opertus est quasi palliô, zelô. Sicut ad vindictam, quasi ad retributionem indignationis hostibus suis, & vicissitudinem inimicis suis. Insulis vicem reddet.* Atqui hæc tempore JESU facta non sunt. Ergo.

RESPONSIO.

Ad tempora secundi adventûs pertinet Prophetia, quando DEUS ulciscetur Sanguinem Justum, qui à Barbaris, & Infi-

Infidelibus fusus est, & in persecutione Magogica fundetur copiosissimè. Est & aliud ultionis Genus, DEO perquàm familiare: pœna nempe unius improbi, ad pœnitentiam plurimorum impetrandam, accommoda. Ac ob id credo, valde multos asseclarum Antichristi, visâ tam horribili strage illius, igne, & grandine, & silicibus de cœlo vibratis, ad Christum convertendos esse.

AXIOMA XI.

Judæi erunt impeccabiles.

Habetur in Isaia capite eodem: Et ego, ecce hoc est Pactum meum cum ipsis dicit Dominus: *Spiritus meus, qui est super te, non recedet de ore eorum.* H. e. Spiritus Sanctus, Spiritus Puritatis, ut exponitur à Kimchio. Huic textui gemellus est textus Ezechielis 36. v. 27. Atqui post JESU Nazareni adventum abundat Mundus peccatis, idque sive Judæos, sive ipsos spectes Nazarenos. Ergo. In hac Prophetia ponit Kimchius vim magnam per decursum suorum commentariorum, & ex illa infringere videbatur textum Jeremiæ à nobis part. I. c. I. explicatum, ubi de mutatione primi Fœderis agebamus.

RESPONSIO.

Cùm evidens sit Doctrina Sacræ Scripturæ cuivis legenti illam, in negotio Gratiæ Divinæ, & libertatis humanæ; nullum à DEO T. O. M. cogi ad bene agendum asserens; & rursus nemo sit tam justus in hac vita, ut nunquam leviter saltèm peccet; concludendum est: homines quidem per Messiam assecuturos esse majorem gratiam, ità ut multi eorum totâ vitâ suâ non sint graviter lapsuri; nullum tamen futurum impeccabilem. Et hoc indicat versus: *Spiritus, qui est super te.* Adducor etenim ut credam, in Isaia non fuisse Spiritum Sanctum tantâ diffusum plenitudine, ut ipsum reddiderit impeccabilem, cùm Albo dicat: *Non est Justus in Mundo, qui faciat bonum, & non peccet.* Isaias peccavit, etsi leviter, quamvis eundem habuerit Spiritum, qui mansurus prædicitur in Chri-

Christianis; cur peccare non possint, aut cur non peccent interdum Christiani? Potest etiam accipi Scriptura de illis Sanctis, qui cum JESU surrexerunt, uti diximus, hi namque in statum à nostro diversum translati sunt.

AXIOMA XII.

Reges Terræ erunt Judæorum Mancipia.

Habetur in Isaia: *Et suges lac Gentium, & ubere Regum lactaberis, sciesque quòd ego Dominus sim Salvator tuus, & Redemptor tuus fortis in Jacob, &c. Et ædificabunt alienigenæ muros tuos, & Reges ministrabunt tibi, quia in ira mea percussi te, & in benevolentia mea misertus sum tui.* c. 60. & reliq. Atqui post JESUM Judæi sunt Regum Mancipia. Ergo.

RESPONSIO.

Justissimam hanc esse pœnam ajo, ut mancipia fiant, qui Regem Regum, à quo Reges constitui debuerunt, Mancipiô vilius habere veriti non sunt. Quemadmodum enim Reges, Romam, & alias Mundi Urbes, magnificentissimis impleverunt Basilicis, ornârunt Obeliscis, & auxerunt Templa Divitiis, gemmisque, ac omni excogitabili apparatu, sumptibus pene immensis: ità haud dubiè Judæam auxissent, ornâssent, implevissent, velutì apparuit in Constantino. Sed nunc eheu! propter injustitiam populi translatum est Regnum, jacet Urbs Sancta, jacebitque usque ad tempus, & tempora, & dimidium temporis. Tunc redibit Judas ad cor, & Reges Gentium, qui stragi Antichristianæ supervixerint, servient Christianis, quæ servitus accipienda non est despoticè, sed Christianè juxta Leges Evangelii. Non est hæc Responsio à quoquam Christianorum, ut videri posset conficta, sed ex obvio libro, de quo sæpè dixi, Collectore Francofurtensi in psal. 10. descripta, pro qua ille Medrascham laudat. Sic autem habet: Strategus quidam iter faciebat (Judaïcus Populus residuus in Patria.) Postquam dies cadit, venit ad illum Burgon, h. e. Hospitii Curator (dies occidua Regnum est Herodianum,

num, Hospitii Curator Messias) dicens : *Ingredere in diversorium metu ferarum, & latronum.* Dicit ei Strategus : *Non soleo divertere.* Quamprimùm discessit, ingruit plena nox, & tenebræ spissæ. (Bellum, & vastatio Titi.) Redit Strategus ad Hospitem, rogatque sibi aperiri, respondet Hospes : *Non soleo aperire noctu.* Portate itaque ô! Filii Israël pœnam vestram, cujus vobis ipsi Authores fuistis Christum JESUM negando, & exspectate totâ nocte sæculi hujus, usque nova illucescat dies in fine dierum, agnoscatisque Messiam, à quo bona omnia accipietis. Et hoc est : *In ira mea percussi te, & in benevolentia mea tui misertus sum.* Considerandæ sunt hoc locô, duo Scripturæ & Patrum vestrorum clarissima, & efficacissima Testimonia; Scripturæ quidem : *Quærite Dominum dum inveniri potest, invocate eum dum propè est.* Patrum autem, qui illam de Messiæ temporibus accipiunt, dicuntque: *Noluerunt Israël ad hanc vocem reverti, & DEUS abivit ab eis.* Medrasch Tillim. Opus igitur est Messiam venisse; cùm hæc ultima sit captivitas, ut ipsi ajunt : Avi autem eorum illum non receperint, & captivitate fuerint puniti; secùs alia adhuc captivitas illis immineret, ob Messiam olim non recipiendum, & adhuc semel abiturus ab illis esset DEUS. Ac mihi quidem sapienter dixisse videor, quòd post seriam pœnitentiam, eos ab hac ultima derelictione vindicandos affirmârim. Clamabunt enim : *Quare Domine stas à longè ?* Et ille respondebit eis : *Propter negationem Christi mei.* Et ipsi confitebuntur Christum, dignosque se reddent Beneficiis, quæ Prophetæ prædixerunt pro die illa, sicutì est Prophetia hujus Axiomatis, & multæ aliæ. Quamvis quâ præcisè ratione sint implendæ, nesciamus.

AXIOMA XIII.

Affluent cibô, potu, vestibus, & omnibus corporis commodis.

Habetur in Isaia : *Ecce servi mei comedent, & vos esurietis, &c.*

RESPONSIO.

Cibum & potum, & alia ad corporis voluptatem spectantia, de futuri sæculi præmiis spiritualibus metaphoricè esse intelligenda, & Majemonides, & Radak hoc locò docuerunt.

AXIOMA XIV.

Non Judæi nazarenizabunt, sed Nazareni, si volnerint evadere exterminium, judaïzabunt.

Habetur Isaiæ ultimò: ubi voratores suillæ in Judicio extremo dicuntur exscindendi. Atqui Nazareni vorant suillam. Ergo.

RESPONSIO.

Scio scriptum esse in Genesi magna c. 41. fore, ut omne pecus immundum, Messiæ ævò mundum sit, & comedi sinè prævaricatione possit.

AXIOMA XV.

Tempore Messiæ, felix, & tranquilla erit Politia Judaïca in terra Israël.

Habetur Jeremiæ 23. *In diebus illis salvabitur Juda, & Israël habitabit confidenter.* h. e. sinè perturbatione suæ Politiæ. Atqui contrarium viderunt Patres nostri tempore JESU. Ergo.

RESPONSIO.

Istis Politiæ suæ amatoribus ità responsum volo: omnem felicitatem, omnem hominis ingenui desiderio dignam tranquillitatem, unò verbò, quidquid usquam est, beatæ vitæ, nullò aliò, quàm Justitiâ Messiæ, & gratiâ, peccatorumque remissione contineri. Itaque in Prophetia mox subditur: *Et hoc est nomen, quò vocabitur* (Messias:) *Dominus Justitia nostra.* Sive extra terram, sive in terra Israël, nihil ad Rhombum. Si exteriorem voluisset explicare Politiam, aliò nomine Messiam suum insignire debuisset.

AXIO-

AXIOMA XVI.

Ambulabunt in Sionæum Templum.

Habetur Jerem. 31. *Et venientes canent in monte Sion, & confluent ad bona Domini.* Targum: *in montem Sion, ubi ædificabitur Domus ſanctuarii.*

RESPONSIO.

In rebus humanis nihil eſſe mente ac ratione præſtantius, nihil divinius, ſummô ſemper conſenſu ſapientiſſimi homines judicârunt. Quin etiam Kimchius montem Sion, ſæculum venturum, & bona ad quæ Judæi confluent, gaudia æternæ vitæ eſſe dixit. Comment. Iſa. c. 57. h. e. gaudia rationis, non murorum.

AXIOMA XVII.

Etiam reliquiæ decem tribuum redibunt.

Et congregabo vos de populis, & colligam vos de terris, in quas disjecti fueratis. Non loquitur Jeremias de captivitate Babel; ſed de captivitate tribuum juxta R. Davidem.

RESPONSIO.

Veterum nonnulli, cùm expreſſam in ſcripturis tribuum derelictionem cernerent, neque quidquam ab iis pro pœnitentia actum invenire poſſent, decem tribus nunquam redituras eſſe docuerunt. Sanhed. c. Cttelek. At illi quidem & de fratribus ſuis nimis abjectè, & de Judæ tribu parùm modeſtè ſenſerunt. Omnes enim Iſraëlitas cogitare inferno traditos, ſummæ foret amentiæ: omnes item Judæos, qualeſcunque fuerint, vitæ beatæ participes dicere, ſummæ irreligioſitatis. Ut enim in prima eductione pauci admodum Moſi crediderunt, & terram promiſſam ingreſſi ſunt; ità conſequens eſt in Doctrina Magiſtrorum, paucos quoque ex Judæis Meſſiæ credituros, & cœlum ingreſſuros eſſe. Ex quo tamen minimè ſequitur, in altero adventu Judæos

tantùm fidem amplexuros ; sed potiùs ex adverso concludendum, omnes omninò tribus, fidei aggregandas, spiritu novô implendas h. e. Baptizandas esse, ut sic : omnis Israël salvus fiat. Itaque de reductione finali intelligatur Vates, & fiat sequens Conclusio : In scriptura & pauci & multi dicuntur à Messia liberandi ; sed hoc unicâ vice fieri non potest, ergo semel pauci, secundò multi.

AXIOMA XVIII.

Dies Judicii præcedet liberationem populi.

Habetur Ezechielis 20. *Et educam vos de populis, & adducam vos in desertum populorum, & judicabor vobiscum ibi.* Hic designat diem judicii, deinde subjecit : *Et purgabo vos à transgressoribus, &c. Nam in monte sancto meo, in monte excelso Israël* dicit Dominus Deus, *ibi servient mihi tota domus Israël.* Hîc ponit liberationem post Judicium. Atqui adventum Messiæ, ante Judicium collocant Nazareni. Ergo.

RESPONSIO.

Jonathanem quidem, cùm in hunc locum paraphrasi suâ illustrandum incidisset, scripsisse scimus : *Et servient mihi in terra viventium.* Habebunt ante judicium extremum Israëlitæ quoddam à malis respirium ; neque tamen hoc obstat, quominùs potiorem & æternam liberationem iis concedamus, eosque post judicium à perversis segregatos, &, ut Evangelium ait, ab hœdis separatos, beatissimam vitam acturos fateamur. Tota autem domus Israël ex gentibus, & Jacobi prosapia conflatur.

AXIOMA XIX.

Reduces Israëlitæ, in sylvis & desertis per viam, suavissimè à DEO protegentur.

Habetur Ezech. 34. *Et habitabunt in deserto cum securitate, & dormient in sylvis.*

RE-

RESPONSIO.

Est hæc admirabilis rerum concinnitas à præpotente DEO constituta, ut quæ Judæi suo generi adscribunt, Gentibus in eorum jura succedentibus congruant; veluti cùm Eremicolæ nostri sanctissimi Viri, in vastissima solitudinum secedentes, in se divinum experti sunt oraculum ... *Et habitabunt in deserto, &c.* Vide Historias hac de re conscriptas, & Philonis testimonia.

AXIOMA XX.

Fabrica Ezechielis à Messia construetur.

Habetur in ipso Ezechiele c. 43. *Tu autem fili hominis ostende domui Israël templum, & confundantur ab iniquitatibus suis, &c.* Lege quæ de fabrica domûs, & urbis ibi scripta sunt omnia, & exspecta Architectum venturum, quia JESUS nihil eorum fecit.

RESPONSIO.

Si DEUS optimus maximus sic loqueretur: Ego in futurum ædificabo templum, quod nunquam est destruendum; quia non erit ex lapidibus & cœmento, utì primum ab hominibus ædificatum: nemo reperiretur usque eò bardus, ut eum de templo animæ, & spirituali ædificio loqui negaret, præsertìm si sciret animam nunquam interire. Hoc verò dicit Psal. 90. secundùm Medrascham ibi positam, & innuit textus: *Sanctuarium Domine aptaverunt illud manus tuæ.* Itaque ut tale aliquid mente conciperemus, Messiam super cœlos, non super terras, sedentem in templo suo vidisse Moses dicitur. Bereschit Rabba c. 28. Sunt ista: dicet aliquis; sed tamen, propter templum illud Mysticum, inficiari lapideum, nefas est. Hoc si quis dixerit, ablegabo eum ad Zorobabelem & contemporaneos illius, qui pro viribus studuerunt fabricam, Ezechielicæ conformare Ideæ, utpote ipsis ostensam: sed cùm vires illorum ea superaret, admittat multa

supereſſe, quæ in cœlis plenam ſortientur magnificentiam, quando DEUS in mentibus noſtris faciet, quod in lapidibus facere ridiculum foret; prout jam in prima parte demonſtravi.

AXIOMA XXI.

Juda & Iſraël Beneficium Redemptionis ſoli adipiſcentur, Gentibus ſemper excluſis.

Habetur in Oſea: *Et erit numerus Filiorum Iſraël, inſtar arenæ maris, quæ nequit numerari, & futurum eſt, ut locò illius dicti:* Non eſtis Populus meus, *dicatur ipſis:* Filii DEI Vivi, *& congregabuntur Filii Juda, & Filii Iſraël ſimul, & ponent ſibi caput unum (Meſſiam) & aſcendent de terra, &c.* Atqui Gentiles qui in JESUM credunt, jactant ſe Populum DEI, Filios DEI Vivi, &c. Ergo.

RESPONSIO.

Qui veritatem amant, iis dictum Geneſis majoris, utut inſolens, erit dogma: *Quisquis, inquit, confitetur duo ſæcula, is tibi ô! Abrahame ſemen vocabitur.* Si Abrahami ſemen? etiam Populus DEI. Nobis, antequam ad alia deveniam, ſummô ſtudiô, ſummâ accuratione creduntur, & prædicantur duo ſæcula, nec eſt gens in Mundo, quæ aliquando non ſuſceperit fidem JESU, cumque ea, fidem duorum ſæculorum. Hinc canimus: Credo vitam venturi ſæculi. Et petimus: *Adveniat Regnum tuum.* Hæc una ratio tantum apud nonnullos potuit, ut publicè ſcripſerint, Meſſiam Gentibus natum eſſe. Jalkut quæſtionem proponit: *Quis cauſa eſt*, ait DEUS, *ut ſim Sol, idololatris?* H. e. ut Solem Juſtitiæ ipſis oriri faciam? peccata Iſraël cauſa ſunt. Et nisi Judæi per tranſportationem politiæ ſuæ ſeminati fuerint in Gentibus, diſperſique totô Orbe, non habent, quod ſibi polliceantur Meſſiam. Ipſorummet vox eſt: *Poſtquam ſeminârit nos DEUS in Gentibus, erimus* Jezraël: *Semen DEI.* Attende: Nam Gentes priùs aggregabuntur DEO per fidem JESU; ac tandem Judæi, cæterique Iſraëlitæ, quorum omnium caput erit JESUS Meſſias.

Eſt

Est & alia loci hujus explicatio apud Aben Esram ; sed minùs conveniens, quam si Judæo alicui arridere potest, facilè permitto. *Ascendent de Terra.* H. e. transferentur de Palæstina. *Constituent sibi caput unum.* H. e. Senacheribum. Quis non videt primam explicationem huic ultimæ multis modis præstare, & manifestè duos ex illa adventus confirmari: unum Gentibus illuminandis locò increduli Israël, alterum Israëli universo destinatum.

AXIOMA XXII.

Adventum Messiæ (si duo ponantur) *primum, ingentia prodigia in Cœlo, & Terra comitabuntur ; ante eundem quoque adventum judicabuntur Gentes, & punientur propter violentias Judæis illatas.*

Habetur Joëlis 2. c. *Effundam Spiritum meum super omnem carnem, &c. Et dabo prodigia in Cœlo, & in Terra, sanguinem, & ignem, & vaporem fumi.* Effusio Spiritus ad primum adventum pertinet juxta Christianos, ergo & prodigia. Sequitur: *Quia ecce in diebus illis, & in tempore illo, cùm convertero captivitatem Juda, & Jerusalem, congregabo omnes Gentes, & deducam eas in vallem Josaphat, &c.* Judicium igitur præcedet, subsequetur Israëlis liberatio, ut docet : *Stillabunt post hæc montes dulcedine, & colles fluent lacte, &c.* Tota Prophetia connexa est, nec potest in duos adventus distorqueri.

RESPONSIO.

Non ità connexa est Joëlis Prophetia, ut nequeat pro temporum diversitate distribui. Quamvis enim sectio, quæ incipit : *Effundam spiritum meum* : pertineat ad Messiæ præsentiam ; id tamen quod sequitur : *Quia ecce in diebus illis*, &c. non de diebus Messiæ, sed de tempore proximè antecedente à Rabbinis exponitur ; & si ordo sectionum aliquid valeret, de tempore subsequente accipiendum esset. Rursus illa verba: *Et congregabo omnes gentes, &c.* de Judicii magni die intelligunt, & alia quæ post hæc dicuntur : *Fons de domo Domini egre-*

egredietur, de generationibus ante Judicium. Nam post Judicium dicunt se futuros impeccabiles. Et verè, electi tales erunt; quocirca fonte ad mundandas sordes peccatorum non indigebunt. Clarum ergo feci, Prophetiam, quæ in manibus est, à prudente expositore, non ordine versuum, sed temporum, explicandam esse. Est autem hic ordo: Primò effundet DEUS Spiritum suum super omnem carnem, &, ut adnotavit Salomon Isaki, super eos, quorum cor molle & facile erit instar carnis. Quia verò tantò prodigiô non movebuntur Judæi, dabit signa in cœlo, quod factum sub tempora Jerosolymæ obsessæ, ut testatur Josephus, & sæpè alias. Continuabit in diebus illis, hoc est in tractu sæculorum à JESU usque ad Antichristum, ostenta sua, quæ in debellatione Illius demùm augebit, & horrorem incutiet toti Mundo. Præcipua autem erit conversio Judæorum, in quorum oculis hæc gerenda sunt. Hi enim, ut ait Ambrosius c. 13. Lucæ, in Ecclesiam tunc credituri sunt, & ut Hieronymus Ezech. 17. in pristinum statum restituendi. Sequetur, DEUS scit quando, dies Judicii, & Gentes omnes quæ Israëlem aliquando afflixerunt, judicabuntur. Etsi enim DEI in hoc executæ sint voluntatem, suam tamen, non DEI, respexerunt gloriam, suæ obediverunt Cupiditati. Non ineptè quoque judicii nomine, intelligo stragem Antichristi, & confœderatarum Gentium, post quam veniet in Sion Redemptor, ut exponit Apostolus; & fient quæ à 17. v. c. tertii Joël scripta usque ad finem habentur. Inhærendo tamen primæ expositioni, spiritualis est eorum sensus, ut sæpè alibi. Vide S. Hieronymum Ezech. 36. pro secunda facientem.

AXIOMA XXIII.

Admissâ distinctione duorum adventuum, adhuc gloria populi Judaïci, & felicitas temporalis, primi est signum, non secundi.

Habetur Amos Ultimô: *In die illa suscitabo tabernaculum David, quod corruit.* De primo adventu id exponunt Christiani, sed videant quid mox adjungatur: *Reædificabo aperturas murorum Ejus, &c. Ut possideant reliquias Idumeæ, & omnes Nationes. Comprehendet arator messorem, &c.* RE-

RESPONSIO.

Si per possessionem Idumeæ, & omnium Gentium, nihil intelligatur aliud, quàm adjunctio Ecclesiæ ad Synagogam, ut imposterum una sint ædificatio, ablatâ, ut Paulus dicit, quæ separationem faciebat, maceriâ: tum optimè præfixum Vaticinium complevit JESUS, qui fecit utraque unum—9. De tali, amica nempe possessione, & Charitatis consociatione, textum hunc accepit Author Geneseos Majoris, quando c. 78. scripsit: ex Israële, & Gentibus unum fore fasciculum, adductis in confirmationem verbis Amos. In hac declaratione etiam intelligitur, quare, præ cæteris Populis, unum nomine suô expresserit Idumæum; quia certum est, primos, qui fidem JESU acceptârunt, Idumæos fuisse. Quare in illa maneamus—9. Abundantia autem illa prodigiosa, quæ explicatur per illa verba: *Comprehendet arator messorem*, conditionem, ut pleraque Judæis promissa, adnexam habet: Si DEO obediverint. Nec dubium est, sub corporali ista felicitate, animæ æterna præmia subintelligi debere: nam & Albo idem sentit de præmiis temporalibus in Mose recitatis. Revocandum etiam in mentem, temporalia Populum universum, spiritualia respicere individuum. Hôc modô eleganter cohæret Amos. Adjungam verbum ex Aben Esra in c. 15. Geneseos, magni sanè tum pro hac, tum pro aliis negotiis in exponenda Scriptura ponderis: *Omnes promissiones, exceptâ unicâ de Messia exhibendo, conditionatè sunt intelligendæ.*

AXIOMA XXIV.

Gentes erunt Judæorum possessio, non per modum amicæ conjunctionis; sed vi armorum.

Habetur in Abdia: *Et hæreditabunt Filii Jacob, eos qui se hæreditate cœperant, & erit Domus Jacob ignis, & Domus Joseph flamma, & Domus Esau stipula; succendentur in eis, & devorabunt eos.* Similia habes in Michæa c. 4. v. 13.

RESPONSIO.

Loquitur de Domo secunda, & Assamonæis, qui Idumæam subjugârunt, ut præter Josephum scribit Aben Esra

in c. 27. Geneſis. Ex quo unà diſces, quàm falsè de Roma accipiant quidam (ut ille vocat) dormientes, qui non expergefiunt ex ſomno ſtultitiæ ſuæ, id, quod in Prophetis de Edom dictum eſt. Eadem eſt expoſitio Micheæ. Ità duo Magiſtri: Jeſſchua, & Moſes Hacohen.

AXIOMA XXV.

Meſſias, qui percutietur, & occidetur, erit Filius Joſeph, ſive Nehemias Filius Uziel.

Habetur in Michea c. 5. *Nunc cingeris Filia turmarum. Obſidio poſita eſt ſuper nos. Virgâ percutient ad Maxillam Judicem Iſraël.* Quum ſuperiùs per Judicem Iſraël dixerimus intelligi debere Meſſiam, cogimur etiam dicere, eum in Urbe obſidione capta percutiendum eſſe. Vocatur ſecundùm Radakium Jeroſolyma filia turmarum; quia turmæ in eam irruent, & Meſſiam Filium Joſeph, obſeſſorum Ducem, capient, percutient, & contumeliis afficient. Atqui nec JESU Nazareno quidquam tale hoc modô, & ordine contigit, nec Filio David contingere poteſt; quia Filius David dicitur in Prophetis occiſurus hoſtes, & Jeroſolymam purgaturus ab illis. Quomodo occidendus? Quomodo capiendus in Urbe? Quapropter opùs eſt, duos ponere Meſſias.

RESPONSIO.

Turmæ Romanorum jam ſub Pompejo Jeroſolymam invaſerunt, & ſub Auguſto, Judæâ in Provinciam redactâ, Proconſul datus Coponius, cui adjectæ ſunt pro more cohortes. Cùm ergo JESUS in tempora Proconſulum inciderit, ſtat Scriptura, eum à cohortibus percutiendum aſſerens. Nec opùs eſt, alterum fingere Meſſiam: dicimus namque JESUM à mortuis ſurrexiſſe, ſedere ad dexteram DEI, hoſtes ſuos olim confracturum. Vide Prophetias Evangelicas. Accedit, in Sanhedrin, ubi enumerantur nomina Meſſiæ, Filii David, ipſum à Rabbinis vocari leproſum, percuſſum à DEO. Ergo non alius, quàm Filius David, & percutietur, & percutiet. Corruit præterea Aben Eſræ explicatio, qui inimicos tantùm voluntate & animi propoſitô, non reapſe dicit percuſſuros eſſe Meſ-

Messiam, Hierosolymæ clausum, captumque. Nunc audiamus ordinem Prophetæ : *Virgâ percutient Maxillam Judicis Israël.* Cur? Quia putabunt eum esse miserrimum quendam homuncionem, Bethlemô natum; ex tam vili enim oppido, dicent, non potest egredi Dominator in Israël. Verùm Doctores Gentis, qui scient ortum Messiæ à diebus æternitatis, & tamen negabunt eum, dabit DEUS pro pœna in tribulationes, usque ad tempus, quo parturiens parturit; sub Tito nempe—. Tandem reliquiæ Fratrum convertentur ad Filios Israël, Discipulos nempe JESU, & evenient, quæ scripta sunt usque ad finem capitis.

AXIOMA XXVI.

Gentes erunt præda Judæorum, præsertim illæ, quibus Judæi aliquando servierunt.

Habetur Zachariæ 2. *Ecce ego levo manum meam super Gentes, & erunt prædæ his, qui serviebant sibi.* Loquitur de præda manifestè, non de convenientia in una Politia; loquitur etiam de Assyriis, Ægyptiis, &c. nè ad Assamonæos valeas confugere, qui has Gentes nunquam subjugârunt.

RESPONSIO.

Loquitur enimverò sub conditione; si Babylone redierint unanimiter; quod tamen factum est minimè, plurimis ibi permanentibus, ad effugiendas molestias itineris, & sanctæ Urbis restaurandæ, ut habetur in Zacharia c. 5. in Visione Amphoræ. Responsio est Aben Esræ.

AXIOMA XXVII.

Judæi facient multos proselytos ex Gentibus.

Habetur Zachariæ 8. *In diebus illis, in quibus apprehendent decem viri ex omnibus Linguis Gentium fimbriam Viri Judæi, dicentes : Ibimus vobiscum, audivimus enim, quoniam Dominus vobiscum est.*

RESPONSIO.

Factum fuit, quod dicis, sub Assamonæis, teste Aben Esra. Talmud etiam docet; tempore Messiæ non esse suscipiendos proselytos. Etsi verò plures adhuc restant Prophetiæ

in Zacharia, quædam ad Messiam tempore Gog Magog, quædam ad Assamonæos pertinentes: eas tamen hic prætereo; quòd in fine primi Tractatûs, & initio secundi, Prophetias primi generis exposuerim, & secundi generis Prophetias ex Aben Esra discere valeas.

AXIOMA ULTIMUM.

Regnum Messiæ, Regnorum omnium Finis.

Habetur in Daniele: *In diebus Regnorum illorum, excitabit DEUS Cœli Regnum, quod in æternum non interibit, & Regnum alteri Populo non dabitur, consummabit, & finiet omnia alia Regna.* Atqui JESUS tale Regnum non exhibuit. Ergo.

RESPONSIO.

Discernenda sunt Regna, à Regnis. Aliud enim est Regnum corporale, aliud spirituale. Hoc in beneficiis spiritualibus, utì sunt DEI Notitia, & Amor: illud in corporalibus, qualis est solutio captivitatis, & Regum Terræ triumphus, positum est. Sic in Isaïa legimus: *Accepit de manu Domini duplicia.* Targum: *Duplices consolationes.* Sinè dubio: animi & corporis. Primum Regnum JESUS Mundo exhibuit, alterum exspectamus; quando plenè prædicabitur Evangelium, & omnium Coronæ Regum jacebunt sub pedibus JESU. De eo loquitur Daniel, & nos cum Apostolo oremus per adventum ejus, & gloriam ejus, ut animabus priùs consulant, qui corporeas delicias sub Messia tantoperè affectant.

CONCLUSIO.

Cùm itaque cæteræ Danielis Prophetiæ ad Mundi finem, teste Gaone, respiciant, & ego hic finem tractatui meo impono; Lectorem meum mirum in modum obtestans: velit considerare, quâ synceritate in Prophetiis exponendis cum eo processerim, & multa ultrò admiserim, quæ facilè in commodiorem Nazarenis, & honorabiliorem sensum deducere potuissem; cumque id secum perpenderit, unà mecum scrutetur Scripturas de Messia vaticinantes, applicetque jam dictis: aut si applicari non posse videbuntur, me admoneat, ut, DEO adjuvante, videamus, quid loquatur in nobis DEUS.

PARS

PARS TERTIA.

Quicunque vult salvus esse, ante omnia opus est, ut teneat Catholicam Fidem, &c.
Hîc ponitur in Hebræo Symbolum Athanasii.

Caput I.

Legem novam ad exemplum veteris distribuere placuit in partes tres: Notitias, Cærimonias, & Judicia; idque Judæorum commodo factum est, quamvis Cærimoniæ & Judicia non sint propriè partes Legis novæ. Inchoabimus autem hoc caput à prima Notitiarum novarum, seu à Mysterio SSS. Trinitatis. In Trinitate varia ponuntur nomina, quæ idem significant, quia DEUS unus est, & non est præter DEUM nostrum, DEUS. Quando audis, *Imaginem* DEI poni in Trinitate; nè, quæso, velis cogitare, Imaginem, aliam Divinitatem aliquam esse: nam hoc vocabuli ideò ad præsens Mysterium translatum est, quòd satis aptè exprimat Notitiam DEI. DEUS etenim sinè dubio seipsum intelligit; producit ergo Imaginem intellectualem: non certè talem, qualem creaturæ quæque producere solent, dum seipsas intelligunt; sed aliam, longèque diversam. Debemus de DEO loqui, quàm aptissimè, & tantô Ente dignissimè possumus; quod fieri puto, quando & producere ipsum aliquid intelligendo dicimus, quia efficax est: & quod producit, ejusdem cum ipso substantiæ affirmamus, quia infinitus est. Aliter Imaginem hanc vocamus *Filium*. Nam quemadmodum Filius terminus est Patris generantis, principio suo similis: ità Notitia intellectualis, ter-

minus est intelligentis, in creatis quidem rebus, similis intelligenti, in Divinis autem, & idem ac intelligens. Præterea & *Sapientiæ* nomine utimur, quòd Cabbalistis minimè est ignotum. Nam in arbore Sephirotica collocant primam Sephiram, *Coronam supremam* dictam, & insigniunt eam nomine, *Ehjeh*, quod est nomen substantiæ; tum statim in capite omnium effluxuum divinorum ponunt Sapientiam. Quæ, ut arbitror, adaptari possunt subsistentiæ Filii, qui est Principium à Principio, per quod facta sunt omnia. Unde Targum Jeruschalmi ait: *In Sapientia creavit DEUS Cœlum, & Terram.* Mentio Targum facta, reducit mihi in memoriam adhuc unum nomen secundæ subsistentiæ proprium: nempe, *Verbum*: video enim Prophetarum Paraphrasten familiariter hoc nomine uti, pro DEI Tetragrammato nomine. Congruit quoque locutioni Philosophorum, qui mentalem Imaginem, solent vocare *Verbum Mentis.* Jam quod attinet ad appellationem Spiritûs Sancti, vel ipse *More*, hoc est: perplexorum Doctor Moses Majmonis, dicit: in Scripturis Voluntatem DEI, designari nomine Spiritûs Sancti. p. 1. c. 40. Cùm itaque tertia subsistentia sit voluntatis terminus, & quidam quasi Typus, sicut secunda intellectûs; convenienter Spiritus Sanctus vocari potest. Quodsi quædam alia præterea inveniuntur in Trinitate nomina, ea nos quidem morari non debemus: dummodo quod fundamentum est, & cardo, teneamus: DEUM se, & intelligere, & amare, duosque terminos Intellectionis, & Amoris producere.

CAPUT II.

IN libro Jetzira, quem egregiis illustratum notis Bibliotheca Sereniss. Lotharingiæ Ducis Caroli, Episc. Olomucensis &c. asservat, c. 1. hæc legi: DEUS habet in suo nomine tres literas diversas: Jod, He, Vov. Jod numerus est, He numerans, & Vov numeratum. Quod in nota explicatur per alia vocabula faciliora, nempe: Intellectus, intelligens, intellectum. Et sicut ex Jod, He, Vov unicum consurgit DEI nomen substan-

ſtantiale : ità correſpondentia vocabula ſunt unus DEUS in ſubſtantia. Hinc emanavit fortè mos , quem aliqui libri exhibent, depingendi nomen DEI cum triplici Jod. Inſpicienti profundiùs Cabbaliſtarum arcana , non poteſt non occurrere famoſi illius latibuli, in quo DEUS reconditus eſt, & omnium mentibus incomprehenſibilis latet, appellatio : *En Soph. Abſque fine.* Jam verò in c. 6. commendati libri Jetzira ſic lego : *Ex tribus fundavit DEUS latibulum ſuum , & omnia pendent in uno.* Quæ profectò tria nihil ſunt aliud , quàm : Jod, He , Vov. Et aliunde notum eſt: quidquid eſt intra *En Soph*, eſſe unicum, unitate eſſentiali. Huc applicandum illud Deuteronomii : *DEUS noſter , DEUS unus eſt.* Dicendum fuerat : Jod, He, Vov , He, DEUS noſter, DEUS unus eſt ; non : Jod, He, Vov , He , DEUS noſter , Jod , He , Vov , He , unus eſt. Sed quia ſignificare voluit unitatem , numerati , numerantis , & numeri , hôc modô locutus fuit Moſes. In arbore Sephorotica etiam clarè monſtrari poteſt Trinitatis in unitate conſenſus. Quid enim aliud ſibi vult : Corona ſumma , Sapientia , Intelligentia ? Quàm quod latini Nazareni vocant : *Patrem , Filium , Spiritum Sanctum.* Sicuti enim Sapientia & Intelligentia non diſtinguuntur à Corona ſumma ratione ſubſtantiæ ; ſed emanationis : & cauſa ſunt emanationum aliarum ; ſic à Patre , Filius & Spiritus ſolô proceſſionum diſcrimine differunt, & ab iis omnia alia procedunt. Accipe Symbolum in voce *Bara* , quæ creare ſignificat , & B. Filium , R. Spiritum , A. Patrem notat ; juxta Hebraica Roſche Teboth : Ab , Ben , Ruach. Qui ſic credit, Trinitatem credit. Quod autem concernit Sapientiam , evidenter majorem requirit ſpeculationem : reperimus etenim in libro Proverbiorum , Sapientiam fuiſſe apud DEUM , artificem omnium. Si apud DEUM ? Ergo ſubſiſtentiam ſecretam à DEO. Si artificem ? Ergo DEUM. Verum quidem eſt, per Sapientiam quoſdam Hebræorum intelligere Legem ; ſed hoc eſt Derech Daraſch , ſeu Allegoricè dictum , teſte Aben Eſra , in Præfatione Geneſeos. Simpliciter autem , eſt Filius more noſtrô dicendi , ſic dictus ; quocirca & ait : *Antequam Abyſſi eſſent,*

essent, *concepta eram*; concipi enim propriè ad Filios seu ventris, seu mentis pertinet. En tibi Systema omnium de Sapientia dictorum:

En. *	* *Cum nondum essent.*
CHachma. *	* Sapientia.
Tehumoth. *	* Abyssi.
Amon. *	* Artifex.
Atzlo. *	* Apud eum, vel: Emanatio ejus.

Omnia ab *En* per Sapientiam ad Emanationes, & rursus ab Emanationibus circulô perpetuô ad *En*: sicut aquæ ex Oceano in Oceanum.

CAPUT III.

QUoniam non quilibet Judæus Cabbalæ peritus est, & multa mysteria Cabbalica magnas habent difficultates: operæ pretium me facturum ratus sum, si ex Legis textu, & scriptis Rabb. Comentariis, aliquid adducerem, ex quo Trinitatis notitia posset illustrari. Incipio autem ab Exodo, in quo ad Mosen ait DEUS: *Ascende ad Dominum.* Ascende ad me, non dicit; sed ad Dominum: etsi enim unicus est DEUS, est tamen subsistentiarum pluralitas. Dicere autem, hæc verba: *Ascende ad Dominum*, habere hunc sensum: Ascende ad Angelum Metatron, qui habet nomen Domini sui; & inconveniens, & Scripturæ adversum est. Nam in eodem libro legimus: Mosen noluisse movere castra, nisi postquam promiserat ei DEUS, se facies suas missurum cum eo. Per facies intelligens ipsum DEUM, non Metatron, sicut apertè traditur in Sanhedrin: *Dine Mamonoth.* Ad Palæstinam sinè DEO ascendere noluit, & ad Dominum sinè DEO ascendit? Absit. Nam DEUS, & verbum Ejus, facies sunt, sive πρόσωπα. Sicut habetur in libro Schaare Zedek. Alter textus habetur in Deuteronomio: *Et scies hodie, & versabis in corde, quod Dominus sit DEUS, & nullus præterea.* Quid sibi vult præceptum versandi, & pon-

ponderandi unitatem DEI, ſtudiôque magnô in id agnoſcendum incumbendi ? Prout innuunt vocabula Hebraïca hôc locô ; unitas profectò res eſt non admodùm laborioſa cognitu, & rationibus naturæ patet. Erit ergò in unitate myſterium, quod DEUS vult ſedulò, & repetitâ meditatione ruminari, & hoc voco Trinitatem. Hos duos textus breviter tango, quia non ſunt mea inventio ; ſed primus in Pugione, alter in Fortalitio reperiri poſſunt. Legem excipiant Prophetæ : *Sanctus, ſanctus, ſanctus.* Si ter dictum eſt Sanctus, propter multiplicandam laudem, cur non eſt dictum centies ? Si laus per tres acclamationes completa eſt, cur non unâ idem effici potuit ? Igitur etiam hinc eruo Trinitatem. Kimchii autem in hunc locum opinio non valet. Dicit enim : clamâſſe Seraphinum ad ſodalem ſuum : Kadoſch, Kadoſch. Quasì invitando, & excitando illum, ſicut dum clamamus ad amicum : Petre, Petre. Deinde ambos ſimul conclamâſſe : Kadoſch. Nam ex Targum patet : omnes Seraphinos unâ voce ter clamâſſe, & Aben Ezra ſcribit, ter, idem eſſe, ac ſemper. In Medraſcha præterea reperimus ſcriptum, clamorem hunc Seraphicum continere myſteria Mercabæ ; h. e. ad DEUM & res divinas pertinentia. Kimchii autem explicatio, quam ibi adfert de tribus mundis, ſpectat ad opus Bereſchit, & ideo ex illa nihil colligi poteſt pro Trinitate, ſed conſulendæ ſunt Agadæ. Sunt quidem adhuc multi textus in Scriptura, qui nomen DEI Tetragrammaton ter Scriptum præſeferunt, & à Theologis Nazarenis Trinitati accommodantur ; Ego tamen illos adducere nolo, tum, quòd ex adductis aliis etiam non adductorum ſenſus patere poſſit ; tum, quòd non ubique debeant fieri Agadæ h. e. Expoſitiones myſticæ : ſed tantùm in illis locis, quæ Traditio celebrat ; Non poſſum me tamen continere ab illa Agada, quam in Expoſitionibus ſuper Michæam ſapientis cujuſdam Galli legi. Quare ſit

CAPUT IV.

RElictum est in parte secunda, Messiam esse DEum, tum ex Scriptura, tum ex magistris, estque hæc veritas principii locò hic statuenda, ut meliùs intelligatur Trinitas in verbis Michææ comprehensa, quæ sic sonant: *Egressus ejus ab initio à diebus sæculi.* Kimchius super hunc locum ità scribit: in diebus Messiæ dicent: egressus illius jam pridem, nempe jam à David Bethlehemita sunt definiti. Et quamvis nolim expositionem hanc subruere, liberum tamen mihi est, aliam Explicationem addere, quæ priorem non convellat, sed amplificet. Dico ergo: illud Hebraicum *Mikedem*, quod Kimchius ait significare pridem, etiam exponi posse pro: ab æterno; sicut reapse Raschius hôc locô, & in Psalmo 72. Stante igitur hàc expositione, sequitur: egressus Messiæ esse ante mundi Creationem; sequitur ulteriùs: esse distinctionem aliquam inter egredientem, & illum, à quo egressus fit: nihil enim propriè à se egredi dicitur; Et cùm egrediens sit DEUS, distinctio hæc non potest esse in natura Deitatis, nè deos videamur multiplicare; est ergo in subsistentiis: video equidem ex ipso Targum in Psalmum 72. enasci occasionem dicendi; egressus illos intelligi debere idealiter, objectivè, & in mente divina, æternoque decreto; non subjectivè, ut loquuntur in Scholis: sed, si benè consideretur antiquum Judæorum dogma de excellentia Messiæ super omnes Creaturas, propter quam ei conveniunt prædicata nulli alteri applicabilia: sponte suâ corruit hæc interpretatio; nam omnium creaturarum egressus hôc modô sunt ab æterno.

CAPUT V.

REm, quæ fide tenenda est, debere esse possibilem, & non involvere contradictionem, Magister Joseph Albo bene docuit: nam etsi aliquid DEUS faciat, quod naturæ repugnat, non tamen continuò repugnat rationi, & cadit sub fidem,

fidem; quia DEI potentia est major naturâ; erga res autem contradictionem includentes nulla est potentia; quia nihil sunt. Majorem hujus Assertionis explanationem vide in ipso Albone; quod verò ad rem præsentem attinet, putat præfatus Rabbi, Trinitatem involvere contradictionem, puta: est unum: non est unum; sunt tria: non sunt tria; & sic omnes Judæi hærent in hac opinione, non valentes asserere Trinitatem perfectissimè conjunctam unitati; sibique persuadent: Nazarenos destruere unitatem DEI; cùm tamen eorum libri nihil ejusmodi contineant. Sanè ex hac suppositione, quòd nempe fiat divisio in Deitate, verissimè dixisset Albo: Nazarenos aliquod contradictorium fidei subjicere; sed quàm longè illi sint ab hoc sensu, ex dictis liquere potest; breviter autem doctrina eorum sic proponi potest: DEUS producit notitiam: notitia, vocatur Filius, propter similitudinem intellectualem. Filius ille est quidem subsistentia alia, quàm producens seu noscens: sed non est res alia, aut substantia alia; quòd autem hoc fieri possit, distributione ostendunt hoc modò: potuit, noluit: voluit, nequiit: nequiit, noluit: potuit, voluit, nesciit. Omnes hæ partes falsæ sunt in DEO, & non supereſt aliud, quàm dicere: potuit voluit; potuit: quis enim neget DEUM se intelligere posse? Voluit: quomodo etenim nollet, cùm intelligere sit ejus esse? At, inquis, non quæro possitne DEUS se intelligere; sed quæro: an sic intelligere se possit, ut intellectionis terminus hypostaticè differat ab intelligente? sed & hoc ipsum posse, manifestum est: omne siquidem agens, in quo reperiuntur principia agendi absque defectu, potens est actionem elicere principiis conformem, etsi aliquando exteriùs fortè impediatur. Exemplum sume à calefactione solis. Nunc verò certissimum est, DEUM esse agens intellectuale, esse ipsummet principium actionis perfectissimæ, à nullo exteriori impediri posse. Quare consentaneum est, ut terminus intellectionis perfectissimè ab illo prodeat, quod quidem tunc fit, quando non differt naturâ, differt hypostasi.

CAPUT VI.

MYsterium unum abiit, Mysterium alterum venit; abiit Trinitas, venit DEI humanitas; contuli sanè quidquid in Prophetis, Gemara, & Medraschiis hac de re potui invenire, uti in parte secunda videre potes; ubi clarissimis verbis dicitur: Messiam esse DEUM nostrum; & tamen in decursu talia de eodem dicuntur, qualia de hominibus. V. g. nasci, mori, moveri localiter, &c. Quocirca nisi DEUS ponatur homo factus, tota Scriptura confunditur, evellitur, projicitur. Sed ut hanc DEI humanitatem aliqualiter saltem reddamus perceptibilem, revocandum est in memoriam id, quod sæpe dicitur: Adamum videlicet dissipâsse mundum, & omnes creaturas, nec fuisse ex numero creaturarum aliquam, quæ dissipatum repararet; quia omnes erant dissipatæ: revocandum etiam est, Messiam esse Reparatorem Mundi; non est igitur Creatura tantùm, aliàs & ipse esset in numero dissipatorum; habet igitur gradum altiorem reliquis Creaturis. Adde magnitudinem plagæ, quam mundus per Adamum accepit, desolationem horribilem, peccati infinitatem, ut aliàs monuimus, & facilè in unam mecum descendes Sententiam: eum, à quo mundus reparatus est, non potuisse non esse DEUM. Nec dicas: Angelum aliquem carne vestitum orbem reparâsse, nam Angelus sic vestitus similis est homini, sed non est homo; Messias autem perfectus est homo, ut plenæ loquuntur paginæ Scripturarum. Huc spectat tritum illud Proverbium: *Quâ mensurâ mensi fueritis, eâdem remetietur vobis*, quod tantùm valet, ac expiationem peccati adæquari peccato. Peccatum primi hominis, & filiorum ejus est quoddam furtum: voluit etenim rapere DEO Divinitatem, & rapere sibi; in Lege verò fures tenentur, non tantùm reddere ablata, sed & ablatis ampliùs, v. g. septem vicibus, aut paucioribus. Adam certè in tota stirpe sua non invenit, quod reddat DEO; sed Messias, cùm sit DEUS, potest reddere DEO, ut ità dicam, Divinitatem; si nempe se exinaniat, formam servi accipiat, in similitu-

litudinem hominum factus, in similitudinem inquam carnis peccati; quod etiam aliâ viâ patescit. Considera nullam subsistentiam, exceptâ Divinâ, carere limitibus: quidquid enim est, genere & differentiâ limitatum est, &, si corpus fuerit, pro limite materiam habet cum figura; cùm igitur pœna magnitudinem suam desumat ex respectu DEI, clarissimum est: Redemptorem humani generis, quisquis ille sit, qui pœnas in se recipit aliorum, limitibus quoque non debere esse circumclusum; præsertim si pœnarum æternitatem brevi temporum compendiò exæquet: sicut de Messia evidentes dicunt Scripturæ, eum nempe brevi passione exhausturum calicem iræ interminabilem; ad hoc alludit Scriptura, cùm dicit: *Israëlita sunt Populus salvatus in DEO.* Nam qui DEUS non est, salutem, de qua loquimur, procurare non potest: sicut enim si decimæ secundæ pecuniâ redimantur juxta Legem, eam oportet esse pecuniæ summam, quæ decimis æquivaleat: ità pariter si redimenda est injuria per peccatum DEO illata, iis actionibus redimenda est, quæ Divinæ sunt.

CAPUT VII.

AUdivi vocem insipientium, qui dicebant: quomodo descendet DEUS in ventrem fœminæ immundum, & merget se in sanguine immundo, & habitabit in loco sordido? Et non considerant, quomodo lux in sordibus immersa non sordescat. Non considerant, inquam, nihil esse DEO immundum, præter peccatum; cùm quidquid creavit, bonum sit & mundum. Alii dicebant: corpus, quod non coagulatur ex semine viri, non esse corpus hominis; & siquidem Nazareni dicunt: Messiam habere corpus non coagulatum ex semine viri, concludendum est: non esse corpus hominis; & hi non considerant, corpus Adami fuisse corpus hominis: nec tamen ex semine. Alii rursus obtendunt articulum fidei: quô credimus, DEUM non esse corpus, neque formam in corpore: & hi non attendunt naturam hominis, & naturam DEI, quarum prima corporea est, non item altera; ambæ autem unâ subsi-

ſtentiâ ſunt ſeptæ, ità ut Meſſias ſit Perſona duarum naturarum, dicaturque de humana, quod hominibus proprium eſt: de Divina, quod DEO: de Perſona verò communiter utræque proprietates. His facilè intellectis, obmuteſcat jam omnis lingua, quæ loquitur vana, non quærant ampliùs ex me imperiti, quis ſtellas, cœlumque rexerit, dum DEUS in ventre Virginis fuit. Reponere & ego poſſum aliam quæſtionem: quis cœlum rexerit, cùm DEUS in Sina fuit? Quamvis & hâc quæſtione nihil ſit opùs: ſciunt enim Sapientes, DEUM vocari ab Hebræis *Macom*, hoc eſt, locum; quia ille omnia replet, & ipſum nihil capit. Unde & in ventre fuit, & in cœlo fuit. In ventre copulans naturas, in cœlo movens ſydera.

CAPUT VIII.

ARgumentum ab infinitate pœnæ ad infinitatem perſonæ, non exiguam patitur difficultatem. Aut enim DEUS eſt mortuus? Aut non eſt mortuus DEUS, ſed homo? DEUM mori, auribus Sapientum durum eſt, & intolerabile; hominem autem ſi mori ponimus, pœnam infinitam nondum tollimus. Quid ergo? Contradictionem contradictioni accumulabimus? Sed re propiùs inſpectâ, nulla eſt in verbis his contradictio. Notum enim eſt, naturam quidem eſſe principium, & originem, fontemque motuum, quibus actio perficitur; agens tamen non à natura, ſed à perſona dici agens, quæ facit ut actio ſit agentis hujus, & non alterius. Sic homicidæ natura, non vocatur homicida: ſed Petrus, aut Paulus, homicida dicitur; quia naturâ mediante Petrus agit, & perſona ſub cenſum ſuum actiones vocat: natura vocata à vocante dignitatem mutuatur vel opprobrium. Sic Chriſti ſeu Meſſiæ humana natura non dicitur Redemptor, ſed Chriſtus Perſona, habens talem naturam, quæ Perſona, ut ſuprà dictum, Divina eſt. Deinde quoſdam moratur ſtatus pœnalis hujus Mundi; ajunt enim: ſi Meſſias pœnas noſtras pertulit, cur adhuc & mulieres in dolore pariunt, & viri in ſudore panem come-

comedunt, & omnes homines in pulverem suum revertuntur, & omnia manent, sicut ab initio super genus nostrum decreta sunt ? Sed hos ego verbis Prophetæ alloquar : *Aperite & levate oculos vestros, quis fecit hoc ?* Quis ut è pulvere surgeretis iterum procuravit ? An non secundâ Mundi die, ut docent Rabbini, creatus est infernus ? Cui creatus ? Impio illi, qui comesturus erat fructum vetitum, & Filiis ejus. Cur ergo nunc justi ex impiis esse possumus, & infernum non videre ? Quis vocavit ab oriente justum ? Quid vobis hîc ? Adhuc dicetis, omnia manere ut ab initio ? Non credam. Si tamen vos offendunt pœnæ, quas fertis in hoc Mundo, scitote decorum esse servo, si sit sicut Dominus ejus. Rex Messias pertulit temporales pœnas, & nos perferre eas recusemus ? Rex in Urbe vestitur saccô, & cives vestiri renuant ? Renuant per me ; sed quando aurô vestietur Rex, illi saccô vestiri debebunt. Atque ità breviter expedivi duas novæ Legis notitias, ex quibus aliæ pendent, & oriuntur.

CAPUT IX.

SEcunda Legis novæ pars complectitur Cærimonias, analogicè sic dictas ; quia Legis Mosaïcæ Cærimoniæ sunt tantùm Cærimoniæ, hæ autem sunt quid plus. Et en tibi illas :

Baptismus, Confirmatio, Oblatio Panis & Vini, Pœnitentia, Unctio, Sanctificatio Sacerdotum, Matrimonium.

Verum quidem est, reperiri & apud Mosen Baptismata, & Impositiones manuum, & reliquas Cærimonias ; sed distinctio est largissima illorum ab his. Etsi enim Mosaïcæ Cærimoniæ signa fuerint rerum altissimarum ; sicut Messiacæ sunt signa gratiæ DEI ; etsi quoque Baptisma peractum fuerit aquâ, & Unctio oleô, & unumquodque materiâ hodie usitatâ, simul & actione constiterit ; non tamen habuerunt vim Messiacarum in se. Mosaïci ritus significabant res admirandas, & dignissimas attentione : sed nihil in anima mutationis faciebant ; Messiæ verò ritus & significant, & efficientes sunt significatarum rerum. E. g. Baptisma signum est mundandæ ani-

animæ, quòd nempe opùs sit mundare animam, sicut & corpus; dum autem baptizaris ritu JESU Nazareni, etiam anima mundatur, & non solùm mundanda portenditur, eò quòd mundandi vis aquas impleverit, quod non est in aquis Mosaïcis. Quomodo enim corpus sinè speciali DEI voluntate animæ est mundationi aptum? Valde porrò inusitatum est dicere DEUM singulari voluntate aquas Mosis tali vi fœtàsse. Clamat etenim Ezechiel de Messiæ diebus; *effundam super vos aqvam mundam.* Ergo non ante dies illos. Potuisse aliquem etiam animæ munditiem acquirere lotionibus Mosaïcis, non pugno; sed tunc intuitu lotionis nostræ factum est. Aliud est dare Arrham, & Arrhæ intuitu mille aureos: aliud rursus, Arrham dare Arrhæ; sicut Sacramenta Mosis, nostrorum Sacramentorum sunt Sacramenta. Illa significantia tantùm, hæc & operantia. Mundatus Mosaïcè absolvitur ab immunditia Legis, v. g. ut possit accedere tabernaculum &c. mundatus à Messia, & corde ad eum provocans, nunc postquam venit, absolvitur à reatu æternæ pœnæ: & antequam venisset, etiam sic absolutum fuisse in tali fide, credo; exceptô, quòd lucem solii Divini non viderit, quod generationi Messiæ reservari affirmatis. Si usque eò lux celatur; igitur antequam veniisset, in tenebris (ità loquendo) sederunt Patres nostri. Vide differentiam duplicis Cærimoniæ.

CAPUT X.

QUid prodest Baptisma sinè Circumcisione? Patres nostri quamvis baptizati fuerint in deserto peregrinationis suæ, tamen in diebus Josue circumcidi debuerunt; ut scires Baptismum sinè Circumcisione nihil prodesse. Hactenus verba objicientis: atque ut respondeatur, opùs est, meminisse dictorum magistralium. Sicut Redemptor primus, ita secundus: sicut fuerunt liberati in Ægypto, sic in diebus Messiæ, liberati ex Ægypto genuerunt Filios, & non circumciderunt eos, sic facient liberati à Messia. Docent interim Rabbini quadraginta annis, quibus in Ægypto fuit Israël, non spirâsse ventum septemtrio-

trionalem, nisi annô secundô, quô circumcisi sunt, & fecerunt Pascha. Reliquis verò annis neque circumcisos esse, neque Pascha feciſſe: sic erit tempore Redemptionis secundæ. Quamvis facilè dem, cessationem Circumcisionis non debere accidere propter defectum venti septemtrionalis tempore Messiæ, sicut accidit tempore Mosis; cùm accidentium ordinatio ex libera pendeat DEI voluntate, qui potuit ventum præfatum sicut secundô, sic reliquis annis mittere ex thesauris suis, vel sinè vento hoc, sanare plagam abscissæ cutis, non obstante peregrinatione; sed quòd Baptisma sinè Circumcisione animam salvet, manifestissimum est ex relata historia. Quô enim pactô dici posset DEUS custodire parvulos, si absque Circumcisione non haberent partem venturi sæculi? & Circumcisio impediretur defectu venti in deserto, in quo Israël jussu DEI peregrinatus est, & DEUS facilè ventum ejusmodi potuit excitare? Reflectere jam, & intimè perpende hæc verba: sicut Redemptor primus, sic secundus. Quòd autem in Josue legimus: *Fac tibi cultros acutos, &c.* Ex Rabbi Levi Gersonis filio, ità intelligimus: Populus Israël terram Canaan intrare debuit sub conditione Circumcisionis, & ad hoc in Ægypto circumcisi sunt, erantque apti primô statim annô intrare terram; sed postquam propter peccata quadraginta annis erraverunt, debuêre rursum qui circumcisi non erant, circumcidi; non enim potuit possessor esse terræ incircumcisus; cùm dictum sit Abrahæ: *Et tu Pactum meum custodi, &c.* (loquitur autem de Circumcisione) *& dabo tibi, & semini tuo post te, terram peregrinationis tuæ.* Est igitur Circumcisio præceptum habens relationem ad possessionem terræ. Ex quo sequitur: Messiæ temporibus sufficere Baptisma absque Circumcisione; quia Messias hæreditatem terræ viventium, non hæreditatem Palæstinæ nobis procurat; sed ad hæreditandam terram viventium sufficit Baptisma, uti monstravimus in hominibus natis in deserto sub Mose: non igitur erit opùs aliâ re, quàm Baptismate. Sciendum est hoc locô, quosdam Rabbinorum secundam hanc Circumcisionem Josue exponere de Priha, & dicere: Priham non fuisse præceptam Abrahamo; cùm tamen ex Genesi majore constet:

Abrahamum perâsse, hoc est: nudâsse modô illô, quem nôrunt Filii Circumcisionis, præputium suum. Vide Radakium Josue 5. cap. Unde quòd Priha dicitur traditio, est fundamentô carens.

CAPUT XI.

Quis dabit ex Sion salutes? Primò quærendum est, an de Messia dictus sit iste Psalmus? Et statim apparet ex Aben Ezra de Messia dictum esse; nam is versum: *DEUS dissipavit ossa castra ponentium, contra te*, sic exponit: contra te, hoc est: contra DEUM, vel Messiam. Nunc videamus, an Messias solam debuerit adferre salutem corporum redimendo suos à captivitate corporali? & iterum patet ex vocabulo pluralis numeri, non loqui Prophetam de una salute: inquirendum itaque est, qualis sit præter corporalem liberationem, salus exspectanda? Postquam supremus Speculator mundum aspexisset inferiorem, vidissetque hominum opera, & cogitationes, an fortè sit sapiens, & sanctus in terra, qui præceptis obtemperaret, & DEUM agnosceret mente: Et ecce omnes recesserunt, hoc est juxta Paraphrasten: *Omnes prævaricati sunt*, non tantùm exercitus Titi, aut alicujus ex inimicis Israël; sed ipsi quoque Israëlitæ, non intellexerunt, hoc est: *Non custodierunt Legem suam*, prout insinuat præfatus Paraphrastes. Et verba Jeremiæ Prophetæ satis aptè huc transferuntur: *Lustrate*, inquit, *plateas Jerusalem, & videte, an vel unum reperturi sitis, qui faciat Judicium.* Scio quidem Davidis verbum: *Dederunt cadavera servorum tuorum escam volatilibus cœli.* Ex quo colligi posset, non fuisse universalem discessionem in Israël. Sed non ità se res habet; inquiunt enim Rabbini, omnes Israëlitas fuisse absolutè impios, vocari autem servos post mortem, eò, quòd mors ipsis fuerit locò expiationis. Sit itaque prima propositio: Totum Genus humanum fuit sub peccato. Sit item secunda: *Quia apud Dominum est misericordia, & copiosa apud eum redemptio.* Ex his duabus propositionibus sponte consurgit tertia: *Et ipse redimet Israël ex omnibus iniquitatibus ejus*,

ejus, & consequenter id quod volumus: spiritualem Messiæ redemptionem esse, spirituales ritus animam purgantes. Quæ si considerâsset Rabbi Albo, nunquam profectò scripsisset de liberatione spirituali nos judicare posse an detur nec ne: certissimè enim datur, ut vidisti.

CAPUT XII.

QUare Filii Israël comederunt Pascha? Quia per Pascha egressi sunt ex servitute: quare Nazareni comedunt carnem, & sanguinem Messiæ sub accidentibus panis, & vini? quia per sanguinem Messiæ egressi ex peccato. Pascha Israëliticum ad corporalem, Pascha Nazarenum ad spiritualem pertinet liberationem. Pascha Israëliticum in Azymo & calice, etiam Nazarenum: Pascha Israëliticum in agno, etiam Nazarenum: de Messia quippe dictum est: *Tanquam ovis ad occisionem ducetur.* Alias duorum Paschatum convenientias sapientes Nazarenorum observaverunt, & difficultates in suo Paschate recurrentes resolverunt; quarum præcipuas hìc subjungo. Primò. Panis & vinum non sunt oblatio DEI eorum, hoc est: Nazarenorum; sed sunt corpus DEI eorum, ut ipsi dicunt. Respondeo: DEUS noster non est corpus, neque forma in corpore; sed univit sè naturæ nostræ, quæ est anima, & corpus: dumque offerimus corpus, non offerimus illud ex parte Deitatis, quia offerimus in memoriam mortis; Deitas autem mori non potuit. Secundò. Non potest credi motus à cœlo cœlorum, & solio gloriæ ad terram in instanti. Respondeo: Non dicimus corpus JESU motu locali venire ad terram; sed motu analogicè generativô; quia prolatis verbis in instanti fit mutatio substantiarum; motus autem ejusmodi non indiget tempore. Tertiò. Impossibile est inveniri corpus in duobus locis. Respondeo: Non dicimus corpus JESU cum suis dimensionibus esse in terra; sed dimensio, est dimensio panis, & substantia, est substantia corporis; atqui corpus carens dimensione suâ potest reperiri in pluribus locis; nam impedimentum est dimensio, ut docent sapientes. Quartò. Non potest corpus

ascendere, descendere; & non findere firmamentum. Respondeo: Nihil nos cogit ponere: solidum esse firmamentum. Quintò. Quomodo fieri potest, ut corpus, quod nunc de novo transsubstantiatur, non accipiat vel additionem, vel diminutionem? cùm sit corpus factum ex pane, & sanguis ex vino; videntur enim qualitates novæ debere subsequi novam productionem. Respondeo: Non dicimus nova accidentia inhærere corpori Messiæ; sed accidentia illa subjectô carere; atque ità nullam esse alterationem in corpore JESU. Neque mirum: qui enim potest subjectum facere ex nihilo, potest accidentia conservare sinè subjecto. Causa superior, quæ vires continet inferiorum, non indiget inferioribus ad conservandum aliquid secundùm voluntatem suam. Sextò. Penetrationem corporum ex hoc mysterio stabiliendam veretur — Albo. Respondeo: Nullum est aliud corpus in hoc mysterio, præter corpus Messiæ. Septimò. Et, negare corpus illud sic mutatum, esse posse alimento animalibus, videtur ipsi imperceptibile. Respondeo: Accidentia, quæ instar substantiæ subsistunt, etiam instar ejusdem nutrire. Ità sapiens admirabilis, & singularis, Thomas nomen ejus. Inverto itaque verba Albonis, & ajo: Omnia hæc, intellectus concipere, os eloqui, auris audire, & fides credere potest. Et Judæus assuetus rebus, quæ non feriunt prima principia, non abnuet his assentiri; quamvis naturæ sint impossibilia. Si enim credit in nube, aut igne fuisse DEI Majestatem; quod etiam sensus confundit: cur repugnet adeò, sub panis apparentiis esse corpus Messiæ? nempe: multa sunt in sinu Creatoris, quæ non sunt in sensu naturæ solius. Hæc sunt quæ de ritibus novis dicenda habui: & quanquam duos tantùm attigi; egi tamen tantundem, ac si omnes exposuissem; quia reliqui in sui intelligentia non patiuntur tales obices, & facilè ostendi potest eorum fructus, nempe: gratia ad functiones vitæ Christianæ obeundas, dari per eas solita.

CA-

CAPUT XIII.

LEx Divina sufficiens est ad dandam perfectionem intellectui & voluntati, & ad æquandum hominem in consecutione felicitatis veræ, hoc est: spiritualis. Ac ideo inquit David: *Lex Domini perfecta convertens animam.* Nec putandum est, hanc assertionem contrariam esse alteri assertioni nostræ, in qua diximus: Legem Mosis in multis notitiis, & ritibus imperfectam esse; nam si accipias Legem cum omnibus partibus suis, invenies eam fuisse instar Pædagogi, ut inquit Paulus: *Qui præcepta dat puero juxtà capacitatem pueri, & omittit quædam, non defectu suæ intelligentiæ propriæ, sed discipuli.* Ad hunc modum Lex Mosaïca promittebat Judæis Redemptorem futurum, dabatque præcepta juventuti convenientia (sic enim status ante Redemptorem in Prophetis vocatur) non meminit autem notitiarum futurô tempore revelandarum; quamvis non negaverim sapientibus notum fuisse Mediatoris mysterium, & debiliores plebis secutos fuisse mentem sapientum in exequendis præceptis, quorum non sciebant mysterium: nondum quippe effusus fuit Spiritus Sanctus, qui juxta vaticinium Joël, Messiæ contemporaneis debebatur: vocatur igitur Lex perfecta pro statu nempe juventutis, & propter mysterium Mediatoris, quod in omnibus ejus ritibus figuratur; Interim certum est, figuras has admodum esse obscuras, quando figuratum nondum præsens est, esse nihilominùs sufficientes pro statu promissionis. Nolim verò putes Legem JESU evertere verba Mosaïcæ Legis; nam quod attinet ultimam felicitatem, una æquè dirigit ac altera hominem ad illam, differentia tantùm est in dirigendi modo, videlicet: quòd prima dirigat, sed non juvet, altera directioni addat auxilium propter Messiam, & siqui olim auxiliô hoc potiti sunt, illi ad novam spectant Legem, quæ ex natura sua tota est gratia & juvamen; cùm altera ex natura sua sit Nemesis. Facimus enim & nos quod antiqua jubet, quantum ad felicitatem satis est; sed præterea juvamur à gratia, & si aliquos ritus addimus, quos

Moses subticuit, causa referenda est in tempus; quia nunc res sunt extra causas, tunc autem intra causas fuêre. Quæ hucusque diximus nos adigunt, ut substantiam Legis teneamus: modos, & ritus habeamus pro nihilo; postquam enim gratia effusa est per Messiam, turpe videbitur observare figuras effusionis futuræ; præter figuras autem sunt judicia, ut vocant, & quædam præcepta circa gubernationem corporis, quæ nostræ Legi non sunt essentialia; cùm pactum nobiscum initum nihil comprehendat essentialiter aliud, quàm quod gratiam spectat per se, & necessariò. Sciendum enim est, Legem novam, Legem cordis esse, ut habetur in Jeremia: Ac propterea solummodo cordis directionem ad ultimum finem ipsi esse essentialem. Hic insurget aliquis, dicetque, me declinare à via veritatis; imo paralogizari, cùm assumam quod non probavi, nempe: Legem figurativam esse. Cui respondeo: parte primâ me probâsse, & hîc ex gratia probam addere; est autem hæc: *Pridem scivi testimonia tua, quòd in æternum fundaveris ea.* Ps. 119. Commentaria Rasche: Omnes res futuras usque ad finem mundi fundâsti in testimoniis tuis. Cui suffragatur David dicens: *Non abscondas à me præcepta tua*, ubi evidenter loquitur de figuris præceptorum; cùm præcepta ad literam sumpta non potuerint esse Davidi ignota, utpote & Regi, & diligenti in Lege Regi.

CAPUT XIV.

VErum est, judicia Legis Mosaïcæ neminem teneri observare in novo fœdere: Sed etsi voluerit, non quidem peccabit; omnia tamen observare non poterit: sunt enim quatuor genera judiciorum. Quædam dirigunt populum erga suum gubernatorem, quædam hominem ad hominem ejusdem populi, quædam ad extraneos, & demum quædam ad domum suam, domûs Patrem informant. Jam quod primum genus attinet, non potest sic mundus dirigi, ut v. g. unusquisque populus habeat Synedrium ex duabus tribubus: nec quoad secundum genus valet directio Mosaïca v. g. de partienda terra

terra sorte, de restituendis hæreditatibus in jubilæo, &c. In tertio genere præcipiuntur multa de Ægyptiis & Ammonitis post certum annorum numerum, vel nunquam in Ecclesia admittendis: & in quarto quædam de Leviratu, & mulieribus alienigenis, quæ omnia manifestè repugnant usui totius orbis, nec possunt in opus redigi à populis diversis. Quapropter Legibus, quæ singulis provinciis congruant, & jure humanô, regi homines est necesse, & tantùm in iis recurrendum ad jus divinum, in quibus necessariò deficit humanum; nec plura: quod enim Rabbi Joseph Albo inquit tractatu primô cap. 8. Leges humanas, præcipuè pœnales, non posse exactè mensurare pœnam crimini debitam, frivolum est: quia talis commensuratio Mathematica non est necessaria; pro grandibus enim Criminibus pœnam æternam statuunt omnes, & ipse Albo. Pœnæ verò temporales infliguntur habitâ consideratione utilitatis Politicæ, v. g. pro furto restitutio dupli, aut quintupli, &c. Quæ quidem restitutio Reipublicæ est utilis; sed si furta adeò invalescant, ut integræ vastentur provinciæ, etiam in vita puniri furem nihil vetat: nec tamen adhuc est hæc pœna dicenda servâsse exactam mensuram; sed solùm mensuram moraliter proportionalem: atque ita vides, cur Justinianus fures non puniat in vita, puniat autem Fridericus Cæsar.

CAPUT XV.

FUndamenta hucusque explicata tria sunt: Lex de cælo. Adventus Messiæ. Præmium & pœna. Horum fundamentorum unumquodque multos habet ramos, qui ex illo derivantur. Non numeramus inter fundamenta existentiam DEI, aut unitatem; hæc enim naturaliter sciri possunt, & potiùs sunt præparatio ad Legem, quàm Lex. Primum autem fundamentum ideo diximus Legem esse de cælo; quia homo finem suum, qui est DEUS, per operationes suas acquirere non potest; nisi Prophetia accedat, & operationes DEO gratas commonstret: deinde cùm natura hominis debilis sit,

&

& infirma, non exeret motus naturæ sanæ sinè medicina, nec faciet operationes, quas lex commonstrat, sinè auxilio divino, quod gratiam dicimus, & naturam confortare credimus. De hac inquit David: *Spiritum rectum innova in visceribus meis*, eò quòd spiritus hominis curvus sit, & solus DEUS innovare ipsum possit ad pristinam figuram. Unde Aben Ezra, cor mundum, & spiritum rectum pro eodem sumit. Tota ergo disceptatio eò redit, ut inquiramus, an DEUS prædestinaverit aliquem, cujus meritô veniat nobis hæc rectitudo gratiosa? & tunc habebimus fundamentum secundum Legis nostræ. Ac millies inculcandum est dictum Rabbinicum: sicut Redemptor primus, sic secundus. Hoc est: primus figura est secundi, quod primus in corporibus, hoc secundus in animabus facit: idcirco DEUS jam inde à principio nobis in semine mulieris promisit medicinam contra venenum Samaelis, quam deinde promissionem toties renovavit, uti diximus. Ego certò mihi imaginor liberationem corporum non esse tanti apud DEUM, ut tot labores, tot præparationes, tot promissiones, & Prophetias à sex diebus creationis præmitti oportuerit: Concludamus itaque Messiam esse mediatorem, & gratiæ nuntium, sinè qua nihil proficit lex, cùm scire non perducat ad Beatitudinem, ut docet Albo. Quare & Patres antiqui gratiâ adjuti Legem servârunt, optimeque sciverunt Legem Mediatoris gratiæ. Pro clariori rerum dictarum intelligentia suffigo Tabulam, in qua liberationem Mosaïcam confero cum liberatione Messiæ: qui autem in Scripturis versati sunt, videbunt, me omnem figuram explicare ex ipsâ Scriptura, & spiritualia opponere corporalibus. Didici rem breviter ex Davide dicente: *Filii vos Domino DEO vestro*; Atqui DEUS non tantùm est Dominus Canaanitidis, sed & vitæ æternæ: igitur & vos non tantùm hæredes illius, sed & hujus. Quod est dicere: in corporalibus includi spiritualia. Sed jam Tabulam inspice.

TA-

TABULA FIGURARUM LEGIS.

Pharao.	*Princeps tenebrarum Sathan.*
Moſes.	*Meſſias Redemptor noſter.*
Magi.	*Oppugnatores adventûs Meſſiæ.*
Paſcha.	*Sacrificium occiſi Meſſiæ.*
Columna nubis, ac ignis.	*Lux mentis, & directio voluntatis.*
Mare rubrum.	*Baptiſma.*
Manna.	*Panis transſubſtantiatus.*
Mons Sinaï.	*Cætus ſanctorum futuri ſæculi.*
Voces ſive Tonitrua.	*Prædicatio Meſſiæ.*
Inimici Iſraël.	*Peccata, & habitus mali ſingulorum.*
Sanguis Teſtameuti.	*Sanguis Meſſiæ in expiationem.*
Tabernaculum.	*Locus quietis in ventura vita.*
Cortina.	*Lex præpanſa Myſterio Chriſti.*
Vaſa Tabernaculi.	*Inſtrumenta Juſtitiæ. h.e. Sacramenta.*
Imago Tabernaculi.	*Mundus ipſe archetypus.*
Velum Moſis.	*Myſteria occulta.*
Sal fœderis.	*Animæ immortalitas in DEI obſequio permanentis.*
Sacrificium peccati non comedendum.	*Caro Meſſiæ ab Aaronicis non manducanda.*
Immunditia Reptilis.	*Immunditia peccati.*
Templum.	*Anima hominis.*
Terra Canaan.	*Terra viventium.*
Vacca Rufa.	*Corpus Meſſiæ extra caſtra mactandi.*
Aquæ Rupis.	*Lex nova.*
Serpens Æneus.	*Meſſias crucifixus. Juxta hanc Gemmatriam. Ken hoio maſchiach hamelech al hazalabh. ex: Scharaph al nes.*
Jeruſalem inferior.	*Jeruſalem ſuperior.*
Fermentum.	*Concupiſcentia.*

CAPUT XVI.

MEssiæ adventus ex illa parte tantùm est fundamentum Legis, ex qua importat liberationem animarum ; ex illa verò, ex qua importat corporalia commoda populi, non est fundamentum, sed veritas creditu digna (ut Phrasi utar Albonis) si populus audiverit vocem Messiæ : DEUS quippe qui fundamentum facit, faciet & apicem ædificii, illosque qui Messiam receperint, etiam corporalibus donis, quantum necesse fuerit, exornabit. Sic in Scriptura vox *Inimicus* est æquivoca, significat etenim & inimicum hominem v. g. *Jebusæum*, *&c.* & genium seductorem, qui peccatis accumulare peccata, & pœnas individuis humanis quærit ; unde & Psalmista inquit : *Et ipse redimet Israël ex Iniquitatibus suis.* Isaïas autem : ex inimicis suis. Atqui non est dicendum contraria prophetâsse hos duos ; ergo nomen inimici est æquivocum. Ejusmodi Prophetias Isaïæ, & Davidis combina in his vocabulis : *Aquæ*, *Jerusalem*, *Sceptrum*, *Regnum*, *Terra*, *&c.* Hæc enim omnia æquivoca sunt ; sed sapiens habet oculos in capite, ut videat quod verum est, & negligat quod falsum est : Non putat sapiens Messiam Regem crudelem esse, eò quòd legat ipsum confracturum esse populos in virga ferrea ; nam scit ex Isaïa aliam virgam, nempe : spiritum oris, hoc est : prædicationem verbi, & sic vocabulum virgæ sumit in recto sensu. Ità porro dum audit Abrahamo promitti terram hanc, non intelligit terram Palæstinæ, quia Abraham non hæreditavit Palæstinam, sed emit particulam illius ; scit enim sapiens verbum Davidis : *Portio mea in terra viventium.* Si portio Davidis ? etiam portio Abrahæ. Et sic in reliquis æquivocis faciendum.

CAPUT XVII.

SCimus DEUM odisse res corporeas in obsequio suo, quando destitutæ sunt applicatione spiritûs ; præmisit autem corporalia spiritualibus, quia æquum est corpus servire animæ, præ-

præmisit Mosen Messiæ, inferiorem superiori, quia æquum est, ut mundus majora commoda accipiat à Messia, quàm Mose: cùm & mundi sapientes agnoverint animæ bona finem esse hominis, non Regnum, & terrarum possessionem; sumus ergo per Messiam Reges cœli, & hæredes vitæ æternæ, ut loquitur Aggæus: *Adhuc unum modicum, & ego commoveo cœlum*, hoc est: Quamvis fecerim vobis magna beneficia in terris per Mosen, faciam tamen adhuc unum beneficium majus omnibus. Parùm est quod facio nunc: ædifico vobis templum; sed hoc modicum est, si comparetur ad commotionem cœli, quam meditor, ad bona cœlestia, quæ jam jam missurus sum. Hanc interpretationem ipsa ratio confirmat. Si enim dum ædificaretur domus prima, non est usus commotione cœlorum, multò minùs dum secunda ædificaretur usus fuisset; cùm exigua aut nulla sit prærogativa secundæ super primam. Si sola terrena spectes, præclarè scilicet propter decem annos, quibus duravit templum secundum supra primum, aut propter structuram Herodis, cœlum dicitur commovere Omnipotens. Dicamus ergo commoveri cœlum, quando spiritualia succedunt corporalibus. Sed inquies, cur non statim à principio dedit spiritualia? dedit autem temporalia in pompa magna? Rrespondeo: ne putarent homines DEI providentiam se non extendere ad hæc infra-mundana, ut olim sensêre Manichæi.

CAPUT XVIII.

QUamvis corporalia ad providentiam pertineant, potiora tamen sunt spiritualia. Isaïas testis sit cap. 19. *Mittet DEUS Ægyptiis Salvatorem, & Principem, & liberabit eos, & servient Ægyptii Assyriis.* Sic enim lego cum Jonathane contra Kimkium, qui hoc modo legit: *Et servient Ægyptii cum Assyriis*, subaudi: *DEO.* In hac prophetia audis liberationem, & audis servitutem, servitutem corporum, liberationem animarum; ejusmodi oppositiones in Prophetis invenies plurimas, v. g. *Messias erit potens, glorioſus, Victor: & iterum: Messias erit*

miser, afflictus, ignobilis, & offendiculo plebis suæ. Si gloria intelligitur corporalis, quomodo erit offendiculo ? nemo enim Regis gloriâ offenditur, præcipuè si avidè exspectatur à populo ; debet ergo Messiæ gloria talis esse, quæ & ignobilitatem corporalem non excludat, & à corporalibus videri non possit. Huic rei parabolam affingo : Scriba aliquis format literam Beth, vel Daleth, & eam legendam porrigit sapientibus generationis suæ : hanc illi legunt, & Scriba dicit eos non legere bene, cum cæteroquin & infantes literam hanc legere sciant, quid causæ est ? Scriba in figura literæ, occultavit mysterium mentis suæ, quod qui præter Alphabetum nihil scit, nunquam penetrabit. Talis Scriba fuit Isaïas qui scripsit multas Prophetias de Messia intellectu facillimas, si corpus spectes, difficillimas, si mysterium libri clausi, *quem dabunt scienti legere, dicentes lege : & dicet : non possum.* c. 29. Bene verò observa hoc loco dici omnium rerum visionem Judæis fore instar libri clausi, nè effugia quæras, & id tantùm de difficillioribus intelligas.

ANACOEPHALEOSIS.

MAnet jam inconcussum fundamentum : JESUM Nazarenum Messiam esse, Prophetias implêsse, & siquis adhuc exspectaretur Messias, non posse aliter vivere, operariqúe, quàm JESUS vixit, & operatus est. Manet : Legem JESU unicam esse Divinam Legem. Manet : siquæ mutatio est in Lege Mosaïca facta, illam non esse factam nisi temporum ratione, propter : Veniet, & venit. Manet certò venisse, quia adventus Messiæ conditioni non est alligatus ut fatetur non tantùm Aben Ezra, sed & Kimchius senior super Versum Isaïæ : *Vocans ab Oriente Avem.* Avis Messias est, inquit, sicut enim

enim Avis venit tempore suô, sic ille. Atque hæc est Summa Libri TESTIS & DOCTOR dicti, pro cujus coronide, & obstruendo quorundam ore, sit Tabula Genealogica JESU Nazareni, in qua quosdam gradus transiliimus concinnitatis causâ; sed simul clarè ostendimus JESUM esse Filium David, & Salomonis.

METra, quæ in Hebraïco adjecimus, latinè reddere noluimus, tum, quia Dogma non continent, tum quia Nativum Lepôrem amisissent.

TABULA GENEALOGICA JESU.




Ex leviratu Joseph. Maria.
Joseph. Maria. JESUS.
Heli. Joachim. Anna. Jacob. Joachim.
Mathathi. Mathan. Panther.
Melchi. Eleazer.
Janne. Eliud.
Joseph. Achim.
Mathathias. Zadock.
Amos. Azor.
Nahum. Eliakim.
Hesli.
Nage. Abdias.
Zorobabel. Phaltias.
Salathiel. Hananias.
Neri. Zorobabel.
Melchi. Phadaia.
Addi. Salathiel.
Cosan. Joakin.

CA-

IMprimatur Opus hoc, Hebraïcè totum eruditè compositum, & dein ab Authore in Latinum versum, si videbitur Magnifico Domino Rectori.

ANTONIUS ZIERNDORFF S. J.
Facultatis Theologicæ Decanus m. pr.

Imprimatur.

Dr. DE DEIMBL
p. t. Rector.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn815690231/phys_0180
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn815690231/phys_0184
DFG

CAPUT XIII.

ufficiens eſt ad dandam perfectionem intellectui
ati, & ad æquandum hominem in conſecutione
, hoc eſt: ſpiritualis. Ac ideo inquit David:
fecta convertens animam. Nec putandum eſt,
m contrariam eſſe alteri aſſertioni noſtræ, in
egem Moſis in multis notitiis, & ritibus imper-
m ſi accipias Legem cum omnibus partibus ſuis,
iiſſe inſtar Pædagogi, ut inquit Paulus: *Qui*
ro juxtà capacitatem pueri, & omittit quædam, non
ligentiæ propriæ, ſed diſcipuli. Ad hunc modum
omittebat Judæis Redemptorem futurum, da-
a juventuti convenientia (ſic enim ſtatus ante
in Prophetis vocatur) non meminit autem
irô tempore revelandarum; quamvis non nega-
us notum fuiſſe Mediatoris myſterium, & de-
ſecutos fuiſſe mentem ſapientum in exequendis
rum non ſciebant myſterium: nondum quippe
itus Sanctus, qui juxta vaticinium Joël, Meſſiæ
s debebatur: vocatur igitur Lex perfecta pro
ventutis, & propter myſterium Mediatoris,
ous ejus ritibus figuratur; Interim certum
s admodum eſſe obſcuras, quando figuratum
ns eſt, eſſe nihilominùs ſufficientes pro ſtatu
Nolim verò putes Legem JESU evertere ver-
egis; nam quod attinet ultimam felicitatem,
it ac altera hominem ad illam, differentia tan-
gendi modo, videlicet: quòd prima dirigat,
, altera directioni addat auxilium propter Meſ-
olim auxiliô hoc potiti ſunt, illi ad novam
n, quæ ex natura ſua tota eſt gratia & juvamen;
natura ſua ſit Nemeſis. Facimus enim & nos
ubet, quantum ad felicitatem ſatis eſt; ſed præ-
à gratia, & ſi aliquos ritus addimus, quos